

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Pavli Manvtii Scholia In Familiares Ciceronis Epistolas.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

PAVLI MANVTII
SCHOLIA IN FAMILIARES
CICERONIS EPISTOLAS.

EX EPISTOLA I. LIBRI I.

QVOD commodo Rem facere possis.] Placuit olim nobis, neque nunc displicet, pro, Rem, legi, Reip. atque hanc ex antiqua latine loquendi consuetudine coniecturam duximus. quo in studij genere nec infitior a prima adolescentia satis accurate me esse uersatum, nec omnino paenitet. hic quidem olim, etsi consensu mouebar ueterum librorum, in quibus, Commodo rem, scriptum uidebam; tamen, usu adductus Romanae linguae probabam aliquanto magis, Commodo reip. Erat enim in Commissa publica re exceptio quaedam, ut id, quod mandabatur, ita fieret, si commodo reip. fieri posset. quo significabant, eam rem non potestati magis, quam prudentiae, committi. Hic opponitur a quibusdam: hoc loquendi genus huic Ciceronis loco nullo modo conuenire: cum ita dicant; Senatus haec uerba fuisse, cum s. c. facerent, aut eorum, qui prouincijs cum imperio praecessent, cum aliquid legatis mandarent: non igitur ea cadere in sententiam Ciceronis, Hortensii, & Luculli, qui priuati senatores erant. Primum quaero: si senatus,

natus,

natus, cum decernit, utitur his uerbis, ut reip.
caueat: cur non iisdem senator, qui & ipse sua
sententia decernit, uti possit? decet enim, ut sena-
tum in publico decreto, ita senatores singulos in
suis sententijs, ex quibus fieri s. c. uolunt, reip.
consulere. porro quid est s. c. nisi multorum se-
natorum idem probatum consensus? quod si, s. c.
in alicuius senatoris sententiam esse factum, saepe
legimus: nil aliud existimare licet, quam grauior
res eius sententiae partes in s. c. esse translatas.
grauius autem nihil, quam, ut id, quod manda-
retur, incommodo reip. ne fieret. itaque non est,
opinor, mandauit dumtaxat hic loquendi modus,
ut senatus, aut proconsulis; sed eius etiam, qui
suadet, ut mandetur. Negabit hoc aliquis, ac
credat exemplo non dissimili. Cicero in epistola ad
M. Brutum, Decreui, inquit, hoc amplius, ut
tu, si arbitrarere utile fore, & e rep. esse, per-
sequerere Dolabellam bello: si minus id commodo
reip. facere posses, in iisdem locis exercitum con-
tineres. Haec neque s. c. uerba sunt, neque pro-
consulis, sed Ciceronis sententiam dicentis. cur
igitur non in hac etiam ad Lentulum epistola lo-
cum habere possint? magis me mouet consensus ue-
terum librorum: a quibus dissentire non audeo.
Commodo, autem, pro Commodo dictum, anti-
que: quod alij mendosum suspicati sunt. qui si Ca-
risum accurate legissent, ut legendi sunt ueteres
omnes gramatici; aliter sentissent. is enim lib. 2.
sic:

sic: Cotidio, ut Falso, pro cotidie. Q. Caepio in
M. Aemilium Scaurum lege Varia: Cum ab isto
uiderem Cotidio consilijs hostes adiuuari. similiter
et Commodo, ut Plautus in Friuolaria, pro com-
modo. Titinius in Iurisperita: Commodo eccum-
exit. Idem in tempore. Sisenna Milesianum XIII.
Eamus ad ipsum. atque ipse commodo de parte su-
periore defendebat. Idem alio loco notauit. Prae-
terea quis ignorat, a Cicerone dictum esse, pro-
ximo, pro proxime, ad Att. lib. 4. ep. 16. &
Arcano, pro Arcane, ad eundem ep. 3. lib. 16.
quod idem Carisius obseruauit. Et Caesar in epi-
stola ad Ciceronem, quae legitur lib. IX. epist. ad
Atticum, cum Furnium nostrum tantum uidis-
sem, neque loqui, neque audire me commodo po-
tuisset. Idem lib. I. de bel. ci. Domitius Arcano
cum paucis familiaribus sui colloquitur sic, Di-
recto, & Directe Cicero dixit. & nos, Directo,
& palam, in agraria secunda legendum putamus,
ubi ut in uulgatis libris, Decreto, & palam.
quod probauit doctissimus, & ingeniosissimus in-
terpretes, mihiq. uetere necessitudine coniunctus,
Bernardinus Lauretanus.

EX EPISTOLA. II.

LENTULI CONSULIS] in libris quibus-
dam antiquis, Lucij consulis, non omnino absur-
de. potest enim intelligi de L. Philippo, Lentuli
Merrellini in consulatu collega. sed, Lentuli, si
legas, de Lentulo Marcellino accipietur. Qua-
tenus

tenus de religione dicebat] cum Bibulus sententia sua duas res complexus esset , de religione, & de tribus legatis : postulatum est , ut eius sententia diuideretur , id est , ut singulis de rebus separatim referretur . ac de religione quatenus dixit , ut scilicet contra sibyllinos libros ne decerneretur , qui regem Aegyptium cum exercitu reduci uetabant : assensum , inquit , est . caput illud , de tribus legatis , qui regem deducerent , improbatum . Dixit autem ; frequentes ierunt in alia omnia , pro frequentes dissenserunt . neque solū ire in alia omnia , sed & discedere , & transire , eodem sensu ueteres dicebant . libro x . ad Plancum . Eum , inquit , senatus reliquit , & in alia omnia discessit . Hirtius autem prope finem libri v l i i . de bello Gallico , Discessionem , ait , faciente Marcello , senatus frequens in alia omnia transit . Festus . Qui hoc censetis , illuc transite : qui alia omnia , in hanc partem . his uerbis praeit , omnis uidelicet causa ; ne dicat , qui non censetis . inde factum , ut , ire in alia omnia , idem significet , quod non censere . id est , contra id , de quo discessio fit , sentire . Multis partibus plures] qui sic exponunt , uidisse consules , in Hortensu sententiam plures ituros a multis partibus , id est hinc , & illinc ; parum omnino agnoscunt purissimam , & ornatissimam locutionem , qua eloquentissimi eius aetatis uiri suis in scriptis eleganter usi sunt . M . Coelius libro harum epistolarū viii .

Turpe

IN EPIST. FAM.

Turpe tibi erit, Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures. item Caesar lib. III. de bello ci. Numero multis partibus inferior. Multis partibus plures, & multis partibus inferior dixerunt, pro eo, quod est, multo plures, & multo inferior. Cicero item libro III. de Finibus. Multis partibus malit, pro multo malit. Suetonius quoque, non omnino malus latinitatis auctor, in Iulij uita eodem loquendi modo usus est.

EX EPISTOLA III.

T. AMPIVS] antea, T. Appius, corrupte legebatur: duo enim praenomina simul esse non possunt, ut si dicas. Marcus Caius, aut Cnaeus Lucius. Ampiorum autem familiam Romae fuisse, notissimum est. & potuit hic esse T. Ampius ille, qui tribunatum pl. gessit M. Cicerone C. Antonio cos. legemq. tulit cum T. Labieno tribuno pl. ut Cn. Pompeius, confecto Mithridatico bello, ludis Circensibus corona aurea, et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta, coronaq. aurea. Velleius lib. II.

EX EPISTOLA IV.

PRIDIE eius diei f.] dicit quod supra in epistola II. in qua ita scripsit: De tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. sed cum ibi factum id esse dicat die, qui consecutus est idus Ian. hic autem die, qui xvi. Kal. Febr. antecessit, fuere, qui, dum arbitrantur, Ianuario mensi, ut

TT nunc

nunc, ita tum unum & xxx fuisse dies, corruptum esse locum crederent, uidentes hanc diem, ut quidem ipsi numerabant, aliam esse ab ea, quae est in epistola 11. cum tamen eandem esse oportet, quod absque dubio locus hic alter de tribus legatis repetito prioris esset. quod si ad rationem eius anni, quo scripta est epistola, supputassent: & locum carere mendo, et eandem, quam in 11. epistola diem significari, cognouissent. fuit enim tunc Ianuarius mensis tantummodo xxi. dierum. postea Iulius Caesar, annum corrigens, binos addidit, & ut tricenos singulos haberet, qui antea tantummodo xxi. habuerat, effecit. Marcobius. Ego tibi a ui] Timebat, ne tribunus aliquis per uim legem ferret, qua Lentulo uel Ptolemaei regis restitutionem eriperet, uel imperium abrogaret: quod factum est. epistola 11. libri 11. ad Q. fratrem eadem de re scribens, quid futurum sit, inquit, latrocinio tribunorum, non diuino: sed tamen suspicor per uim rogationem Canninium perlaturum.

E X E P I S T O L A V.

Hic quae agantur] aut hoc est alterius epistolae initium: aut, quae sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superior epistolae pars. saepe autem accidit, ut litteras non continuata, sed crebro repetita scriptione conficiamus, singulis diebus non nisi aliquid appingentes: id quod in epistolis ad Atticum, & ad Q. fratrem scriptis saepissime factum

Etum

Etum uidemus.

EX EPISTOLA VIII.

EMPLATORIO] malim, C. Plaetorio: cū
in antiquo libro scriptum sit, C. Plaetorio. Plae-
torij autem Romae familia fuit. quod si, Empla-
torio, legas, liberti nomen erit.

EX EPISTOLA IX.

NON modo praemiis] ita legendum est,
& ita in libris uetustissimis habetur. sed cum locu-
tio primo ad spectu durior uideatur, hinc factum
est, ut ueterem lectionem adhuc omnes contem-
pserint: quam nos eo leuentius restituimus, quod
ea Ciceronem alibi quoque nō semel usum esse ani-
maduertimus. epistola enim v. i. libri x. ad At-
ticum, Regnum, inquit, non modo Romano ho-
mini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile.
& ad eundem lib. ix. Mihi non modo irasci,
grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem
impune licet. libro autem de oratore i. Ne-
que solum inscientiam meam, sed ne rerum qui-
dem magnitudinem perspicit. harum autem epi-
stolarum lib. i. x. Hoc tamen scito, non modo me,
sed ne ipsum quidem principem scire, quod futu-
rum sit. quamquam hic quoque inculcata erat di-
ctio, non, quae in libris antiquis non est. Et Varro
lib. viii. de lingua latina. Dicam de uniuersa ana-
logia, cur non modo uideatur esse reprehendenda,
sed etiam cur in usu quodam modo sequenda. In
praetura autem, & in consulatu] in praetura

TT 2 oratio-

orationem habuit pro lege Manilia; qua populum est hortatus, ut Pompeio Mithridaticum bellum, legem Manilio ferente, demandaretur. In consulatu autem cum alijs officijs Pompeium ornauit, tum etiam illo, quod retulit de supplicationibus ei decernendis pro rep. Mithridatico bello felicissime gesta: ut in oratione de provincijs. Si iis pro me stante pugnare licuisset] adolescens, cum hos epistolarum libros, quam diligentissime tum potuit, emendarem, hunc locum ita, ut legitur, ex libris antiquis restitui, cum antea ita corruptus esset, ut bonus sensus elici nullus posset. Primum illa furta] subaudi, fuerant. quasi dicat, omitto corruptum illud iudicium de sacris Bonae deae uiolatis: loquor de ijs, quae post reditum meum flagitiose commissa sunt. nam si, Primum illa furta, intelligas reditum Ciceronis esse consecuta: praeter historiae fidem erit, neque enim illa furta muliebrium religionum Ciceronis exsilium sunt consecuta. itaque V baldini Bandinelli, qui legendum arbitratur, illa furia, coiecturam probamus. quoniam tamen in omnibus antiquis libris, illa furta, legimus, opinioni nostrae, fortasse nobis ipsis assentantes, libentius acquiescimus. Liberalitatem] alij, libertatem. ego nihil muto. librum enim per antiquum habet adolescens nobilis, Bernardinus Maffeus, in quo, liberalitatem, scriptum est. quam uocem eo libentius conseruauit, quod

IN EPIST. FAM.

quod sequitur, Cum sine suspitione tuae cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. quod enim dixerat, liberalitatem, contrarium opposuit, suspitione cupiditatis. Felicitatem autem quod uellem, consequi potuisses] Sic plane quattuor libri ueteres, uno excepto, in quo, pro, felicitatem, est, Facilitate. ego sic interpretor. Felix, autem, quod uellem, in eo esse potuisses, ne quid contra eius ordinis, quem semper honestasti, aut rem, aut uoluntatem ageres. Atque haec mihi uidetur huius loci germana sententia. qua delector eo magis, quod antiquorum librorum testimonio comprobatur.

EX EPISTOLA ULTIMA,

CUR enim tibi hoc non gratificer, nescio] sensus horum uerborum ex titulo pendet. cum enim ita inscripsisset, VALERIO IURISCONSULTO, subiunxit, nam cur te iuriconsultum non appellem, nescio, etiam si iuriconsultus ualde non sis: iocans uidelicet cum eo familiaris, quod etiam in reliqua epistola facit. Et libro tertio, ad Appium scribens, L. Valerium, inquit, iuriconsultum ualde tibi commendo, sed ita etiam, si non est iuriconsultus. Quoniam autem sunt, qui huius epistolae initium desiderari potius, quam esse hoc, quod legitur, existiment, aliud huic simile Ciceronis exemplum ex epistolis ad Atticum scriptis afferemus. ita igitur lib. III.

M. CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F.

TT 3 POM-

POMPONIANO ATTICO. Quod quidem ita esse, & auunculum tuum functum esse officio, uehementissime probo. Quorum uerborum sensum, hic quoque ex titulo regi, nemini est obscurum, dicit enim, se probare ita esse, id est, eum, ab auunculo adoptatum, & heredem factum, appellari, non, ut antea, T. Pomponium Atticum, sed (ut in adoptionibus fieri solebat: in quibus eius, qui adoptabat, & praenomen, & nomen, & cognomen, & aliquando etiam agnomen ij, qui adoptabantur, sumebant, nomen, quod ante habuerant, ita mutant, ut in animum desineret: cognomen tamen suum, ut antea fuerat, retinebant, sed post eius cognomen ponebant, qui adoptarat, si modo id ille habuisset) Q. Caecilium Q. F. Pomponianum Atticum. ut nemo iam de epistola ad Valerium dubitare possit. Partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas; partim contumeliosum, quod male respondeas] iocus est in his uerbis & abstrusus, & elegans. uult enim innuere, ideo nihil eum respondere, non quod superbus sit, sed quod aut eum nemo consulat, cum homines bonum iurifconsultum non existiment; aut, si quis consulat, nullum auferat responsum ob eius inscientiam: ideo autem male respondere, non quod contumeliosus, sed quod imperitus, & indoctus. proprium autem iurifconsultorum, de iure consulentibus respondere.

IN AEPIST. FAM.

EX EPISTOLA VI. LIB. II.

IN suffragiis studia] dictionem, studia, sustulimus. supra enim dixit, studium: e qua uoce sequentes genitiui reguntur.

EX EPISTOLA VIII.

PRIMUM tibi,] subiungendum uidetur, deinde, sed omittitur et hic, & alibi. ueruntamen, quod expectatur in sententia, non omittitur. sequitur enim infra, Tum uero. ut prior gratulatio fuerit, secunda gratiarum actio.

EX EPISTOLA IX.

DE TE, quia, quod sperabam; de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram] in epistola, quae tertia est octauae libri, Coelius de Hirro competitore loquens, ita scripserat: Spero te celeriter auditurum et de nobis, quod sperasti; & de illo, quod uix sperare ausus est. Itaque Cicero respondens, iisdem fere uerbis eadem repetit: et quia Coelius scripserat, De nobis, quod sperasti; de illo, quod uix sperare ausus es; rescribit; De te, quia, quod sperabam; de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram. facete autem, cum repeteret uocem illam Coelii, Illo, adspirationem reddidit, et subiunxit (balbus enim sum) Hirrum significans: cuius nomen propter balbuciem exprimi a se non posse, fingit. in sequentibus autem cum litteram, expedite proferat, Sed balbi, inquit, non sumus. Diuisus aquarum diuortiis] plerosque latet huius loci sensus. &

uidi doctos alioqui viros, qui sic interpretarentur: fuisse fluium, qui montem Amanum interfluens diuideret, & Ciceroni, ac Bibulo communem faceret: cum dixerit Cicero, non, diuisus fluius, aut, diuisus aquis, sed, diuisus aquarum diuortijs. quam illi uocem parum diligenter attenderant. Diuortium autem aquarum ita fit, cadunt in montem aquae pluuiae. is mons cum sit procliuus, utrinque defluant, & decurrant, necesse est. ita fit, ut diuidantur, & earum quasi diuortium fiat. itaque dixit de oratore libro I. Vt ex Apennino fluium, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta diuortia. ad Atticum autem idem scribit, quod ad Coelium, inquit enim lib. V. Ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit. Linius etiam libro XXXVIII. ubi loquitur de Cn. Manlio, Prope, inquit, ipsis iugis ad aquarum diuortia castra posuisse: id est, ad eum locum, unde aquae, duas in partes diuisae, incipiunt defluere. a quo igitur loco ex Amano monte Ciliciam uersus aquae delabebantur, ad eum usque locum Cilicia pertinebat. et ex altera montis parte, eadem Syriam, quam Bibulus regebat, erat ratio. terminum enim habebat eum locum, unde in eam ex Amano defluere aquae incipiebant.

EX EPISTOLA XII.

QVINQVATRVS] dictum opinor nominandi potius, quam, ut alij crediderunt, generandi

uerandi casu . nam hanc uocem tantum multitu-
 dinis numero memini me legisse . forte etiam legi
 possit , quinquatribus : ut intelligatur dies , quo
 gestae sunt res , non quo allatae : dum inferat , ci-
 teriora nondum audiebamus . nā in libro scripto,
 quem habet uir doctissimus , Hieronymus Ferra-
 rius , Corrigiensis , legitur , quinquat . ut etiam
 pro gladiatoribus , gladiat . uetustis in libris quan-
 doque scriptum uideas .

EX EPISTOLA . XV .

EXEMPLO] antea , exemplum . nos ex
 uetustis libris , exemplo , olim correximus . &
 impressimus . Pontinius] nam is quidem su-
 periore honore usus erat : fuerat enim praetor Ci-
 cerone cos . itaque dixit ad Atticum epist . II . lib .
 VI . Fratrem solum habeo praetorium : Ponti-
 nius enim iam a me discesserat . De Matrino]
 locus obscurus , cuiusmodi in ipsius Ciceronis scri-
 ptis alij quoque sunt , quare etsi sensum non per-
 cipio , tamen ueterem lectionem libenter conser-
 uo . omnino & libri sunt , in quibus legitur , De
 matrimonio : sed uetustiores habent , De Matri-
 nio . quae uox quid sibi uellet , cum minus con-
 staret : fuisse opinor , qui , Matrino , delerint ,
 & , matrimonio , ex ingenio reposuerint . for-
 te autem , cum ad Coelium aedilem scribat , de
 Matrino scriba aedilicio , cuius meminit in ora-
 tione pro Cluentio , quippiam significauit : sed ni-
 hil affirmamus .

S C H O L I A

EX EPISTOLA XVI.

NON enim te caelauī sermonem, sed non ne tum prouidisti] sic antea. postea alij aliter emendarunt. nos, cum in uetere libro scriptum uideremus, non enim te caelauī, sed nomen tuum prouidisti: coniecturam secuti correximus: non enim te caelauī. sed non ne tuum prouidisti, &c. Fortasse uaticinor] non est hic uaticinor pro diuino, sed pro ariolor, & quasi deliro, ut etiam in oratione pro Sextio, Vaticinari eos, atque insanire dicebat.

EX EPISTOLA XVII.

DRACHMIS] Graeci scriptores drachmam usurpant pro denario Romano, subtilioris computationis molestiam uitantes. uere autem drachma denario non respondet, sed superatur septima parte: quod e Celso, & Plinio colligitur. Denarium autem intelligo eum, qui postremis reip. temporibus in usu fuit, pondere unius drachmae, & septimae partis, ut essent septem in uncia, & singuli aestimarentur quattuor sestertijs, id est assibus duodecim. Drachma uero nō eadem fuit Atticis, Babylonijs, Aeginetis. Atticis enim pro sex obolis fuit, Babylonijs pro septem, Aeginetis pro decem. CCCIOOO] centum milibus. haec porro summa duodecim scutorum millia nostratis pecuniae conficiet: quae Sallustius mutua petierat.

VETERES numerorum notas uariarunt.
pri-

primam quinto loco, deinde decimo, mox quinquagesimo, tum centesimo, eodem in reliquis ordine conseruato, mutato numeri signo quoties numerus a quinario ad duplum, & a duplo rursus ad quinarium peruenisset.

Prima nota fuit I, unus, usque ad quattuor iterata.

Secunda nota, V, quinque, in quinario primum numero uariata.

Tertia, X, decem, in duplo quinario, ut iam dixi, mutationem recipiens.

Quarta, L, quinquaginta, aucto post tertiam notam, id est post, X, in quincuplum numero.

Quinta, C, centum, duplicato quinquagenario.

Sexta, D, quingenta, & hic quincupli ratione seruata.

Septima, C D, mille, habita dupli ratione.

Octaua mutatio fuit, cum ad quinque millia peruenissent. nam, ne toties iterarent C D, his notis usi sunt, I D D, quinque millia.

Nona mutatio a quincuplo in duplum recepit has notas, C C I D D, decem millia.

Decima, a duplo in quincuplum, I D D D, quinquaginta millia,

Undecima, & ultima, a quincuplo in duplum, C C C I D D D, centum millia.

Nec ultra notarum mutatio progressa est. ita sunt omnino undecim uariae, deinceps a nobis demonstratae, tamen iterandae.

I, unus:

SCHOLIA

I, unus:
 V, quinque:
 X, decem:
 L, quinquaginta:
 C, centum:
 IC, quingenta:
 CIO, mille:
 ICIC, quinque millia:
 CCIC, decem millia:
 ICICIC, quinquaginta millia:
 CCCIC, centum millia.

Quam cogitationem legentibus non in iucundam fore, sum arbitratus.

Hoc etiam adiungam, a prima nota I, ceteras omnes fluxisse. nam, V, duae primae notae sunt, infima parte coniunctae. Item, X, est quinary numeri nota publicata, cum duae, V, in acuto angulo coniungantur. At, L, quid est, nisi prima illa nota, I, recta & altera prostrata, simul iunctae? quo si addideris in summa parte aliam primam notam, item prostratam, fiet centum. non enim priscis temporibus, pro centum, scribebant, C, quod ad aetatem nostram permansit: sed, [, quae erant tres primae notae consociatae, una recta, duae prostratae, cum recta coniunctae, una in superiore parte, altera in inferiore. Quingenta uero fecerunt, addita ad tres notas, quas proxime nominavi, quarta recta, cum duabus pro-

IN EPIST. FAM.

prostratis coniuncta, hoc modo []. qua figura duplicata, fecerunt mille, hoc modo, []. unde postea, librariorum arbitrio, uariae notae, quae, mille, significarent, factae sunt, quarum non nullas ostendemus. nam ex [], fieri coeptum est, ∞, & ω, & CIO, & CIO unde M deriuatum, quo pro mille hodie utimur: cum olim nota fuerit, non littera.

EX EPISTOLA I. LIB. III.

QVONIAM tu ita uis] tibi placet officijs coli amicitiam nostram: quod, si tibi non placeret, facerem inuita Minerva. qui si efficies, ut idem tuis quoque propinquis placet, (tacite Appium hortatur, ut reliquos Clodios, ob ueteres cum P. Clodio inimicitias insensos, nisi reconciliet) eandemq. Mineruam, quam abs te non inuitam habeo, ab ipsis accipiam: ego plane hoc non Mineruae magis, quam tibi referam acceptum, & iure eam non tam Pallada, uocatur, quam Appiada, de tuo nomine, nuncupabo. Iocum autem Cicero quaesuit in nominibus similiter desinentibus. ideo, quam mineruam, dixerat, Pallada postea, cum Appiada uellet subiungere, appellauit.

EX EPISTOLA III.

PRO nostra constantissima uoluntate erga te] non uideo, cur mutari debuerit. Cicero enim id agit, ut ostendat, etsi Appij consuetudine, propter inimicitias P. Clodij, non sit
usus,

usus, numquam tamen ei se fuisse inimicum, neque suam in illum pristinam uoluntatem umquam fuisse immutatam. epistola etiam huius libri IX. Conscientia, inquit, meae constantis erga te uoluntatis. Praeterea meam sententiam confirmat liber scriptus.

[C. Pontinium legatum] Ciceronis Ciliciae proconsulis quaestores fuere L. Messinius, C. Coelius: legati Q. Cicero, eius frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius. tribunus mil. Q. Fufidius: praefectus euocatorum Antonius: praefectus fabrum Q. Lepta: scriba M. Tullius: accensus Pausanias; interpres M. Marcilius. de quaestoribus, legitur in his epistolis lib. I I. lib. X I I I. lib. X V I. de legatis lib. X V. de tribuno mil. lib. X I I I. ep. I 2. de praefecto euocatorum lib. I I I. de praefecto fabrum lib. I I I. de scriba lib. V. & ad Atticum. de accenso lib. I I I. de interprete lib. X I I I.

EX EPISTOLA VIII.

[C V M ad urbem esses] antea, isse nos, esses, ex libris scriptis, & ex alijs ipsius Ciceronis locis. inquit enim, ad eundem Appium scribens, Ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar. & ad Atticum lib. V I I I. Trebatius quidem scripsit, se ab illo I X. Kal. Feb. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad urbem. & alibi dicebatur autem de ijs, qui cum potestate prouinciali reuersi, aut in prouinciam profecti non dum essent. Pedianus. Laedi se putat] quod

quod ex meis institutis non eos fructus capiat, quos capere solitus erat ex tuis. Huc spectat id, quod sequitur, Liberalitas tua: & illud paullo post, Non debent mirari homines, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi.

EX EPISTOLA X.

SI clam, magis aperte inimicus esse?] cum antea legeretur, sic iam magis aperte inimicus essem: Petrus Danesius Parrisiensis, uir doctrinae singularis, cuius ego iudicium, ut debeo, pluriui facio, animaduertit, corruptum esse locum, & sententiam secutus, nihil adiuantibus uetustis libris, ex ingenio felicissime correxit. Ad me adire quosdam memini, nimirum ex Epicteto, qui dicerent.] licet alij credant, quod cuique lubet. ego tres illas dictiones, nimirum ex Epicteto, Ciceronis esse non existimo, neque adhuc in uetustis libris inueni, quamquam & multos, & uetustissimos inspexerim. Quae a me perfecta, quaeq. instituta sint, cognosce] alij, quae a me profecta placet, perfecta, consentientibus antiquis libris: ut hoc dicat, exponere se uelle non solum quae pro Appio iam perfecit, sed etiam quae instituerit: exposuit autem, opinor, in cōmentario, quem litteris adscriptum mittebat.

EX EPISTOLA XII.

ANTE diem III. non. Sext.] perinde est, ac si dixisset, III. non. Sext. id ex libri

XVI, epistola V. ad Tironem intelligi facile potest. ante diem III. non. ueteres dicebant, id est, die tertio ante nonas. nam cum dicitur, III. non. concisa locutio est: quae integra esset, si diceres, III. die ante nonas. qua non admodum utebantur antiqui, sed eius loco, ante diem III. nonas

EX EPISTOLA IX. LIB. IV.

CONIVNCTVM esse periculum suo cer-neret] alij hanc lectionem uidentur suspectam habuisse. nos eam in uetusto libro Ioannis Scalae, & in alijs antiquis inuenimus.

EX EPISTOLA XIII.

CERTA res nulla] scripsimus, ulla, ut in antiquioribus libris legitur. locutionem esse usitatam intelliget, qui uiderit ea, quae diximus in illum epistolae penultima lib. I. locum, Non modo praemijs. Ut te horter, & obsecrem] nihil muto. sic. n. in octo uetustissimis exemplaribus scriptum esse uideo, aliorum tamen lectionem non improbo: etsi eam in libris scriptis ipse quidem non dum inueni.

EX EPISTOLA IX.

CVM Vardacis] antea, Vardacis, legabatur. nos in libris uetustis lectionem, quam impressimus, inuenimus. neque de ea dubitandum quidquam censuimus, cum a Plinio Vardaeos inter Dalmatiae populos, in qua Vatinus bellum gerebat, numeratos uideremus. Actione expostulant.] ea forma dictum est, qua actione repetero

petere. omnino antiqui libri habent, *Actiones* ex-
postulant. sed mihi quidem magis probatur, *A-*
ctione ex postulant; aut, *Actiones* postulant.

EX EPISTOLA XII.

IGNOTIS nota faciebant) *Ignotis*, pro-
iis, qui non nouerant, *actiue* posuit, ut etiam *Li-*
uius lib. III. *Notos* gratia eorum, turbam indi-
gnitas rei uirgini conciliat. & *Curtius*; *Ignoti*
iuuenta agebant. *Plautus* autē in *Pseudolo*: *No-*
ui: *notis* praedicat. *notis*, dixit, id est, iis, qui no-
uerant. itemq. *Cicero* in oratione pro *M. Coelio*,
& in *Verrem* libro VI.

EX EPISTOLA XIV.

QVAM a me discesseras) uetustos libros,
quibus ego nunc multis ad harū epistolarū emen-
dationem utor, ita, ut impressimus, habere omnes
uideo. itaque aliorum lectionem non sequor.

EX EPISTOLA XIX.

M. CICERO S. D. RVFO.) aut men-
dosus est huius, & sequentis epistolae titulus, &
pro *Ruso*, legendum, *Mescinio*: aut *Rufus* *Mesci-*
nio cognomen fuit. *Mescinius* quidem hic sit, ne-
cesse est: cuius fratrem fuisse *M. Mindium*, scribit
lib. XIII. epist. 26. quem epistola sequenti, ad eun-
dem hunc *Rufum* scribens, fratrem eius esse dicit.
Quare tu) ita in impressis: sed in antiquis,
Quae tu: aut, Quae tu: quo modo legitur in libro
Petri Bembi, Cardinalis omni laude cumulati, et
in lib. *Mediceae bibliothecae*. docti locū diligētius

considerent : ego, hoc notare, mei officij esse duxi.

EX EPISTOLA XX.

M. TULLIUS, scriba meus) hic est
 M. Tullius, cognomento Laurea, Ciceronis liber-
 tus, qui *Academiam uillam uersibus, quos recitat
 Plinius lib. xxxi. celebravit. Meo seruo scri-
 ba,*) tollenda uidetur dictio, Seruo, ut glossema ab
 imperito additum, qui putauit scribam Ciceronis
 esse seruum. cum libertus esset. quod perspicuum est,
 cum M. Tullius appelletur. Legatum meum,
 praefactumq. Q. Leptam) induxi has duas
 dictiones, Q. Leptam primum, quod in antiquo li-
 bro non sunt: deinde, quod Ciceronem, si praefecti
 nomen ponere uoluisset, legati fuisse omis-
 surum, uerisimile non est. postremo cur nomē ponat, cum
 ad Mescinium quaestorem suum scribat, qui &
 praefectum, & alios, qui cum Cicerone in Cilicia
 fuissent, optime nouerat? In pecunia exacta
 ita efferre) ex uarietate duorum exemplarium
 haec lectio sumpta est: cuius hic est sensus. Prouin-
 ciae rationes Cicero retulerat. id eius quaestor Ru-
 fus, se absente, fieri noluerat: pecuniae enim nescio
 quid a se prouincia exactum in libro rationum
 scribi cupiebat, existimans, nisi id cum reliquis Ci-
 ceronis rationibus referretur, eius rei potestatem
 se deinceps nō habiturum. quod ei fuisset inuidiae,
 quasi publicam pecuniā uoluisset auertere. itaque
 commotus est. Cicero autem non esse ait, cur irā-
 scatur: nam licet ipse rationes iā retulerit, Rufo
 tamen

tamen facultatem non adimi de pecunia referendi, quam exegisset. in pecunia, inquit, a te exacta non aequum fuit, ex eo, quod ego meas rationes retulerim, ut ita te efferres, itaq. mecum insolenter, & iracunde ageres. neque enim, cur id facias, causa ulla est: nisi quid me fallit: sunt enim alij peritiores. Delatos esse) magistratus e provincia reuersi, post relatas rationes, eorum nomina ad aerarium deferrebant, quorum opera reip. uideretur utilis fuisse. deferrebant autem ex ijs, quos secum adduxerant. in quo erat ambitio quaedam: nam ostendere uolebant, cohortem apud se fuisse hominum lectissimorum, qui beneficia in remp. contulissent. ideoq. dicebatur, deferre in beneficijs; quod is, qui deferrebat, quasi beneficium aliquod deferre uidebatur. hinc illud in oratione pro Archia. In beneficijs ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore, & consule. Et pro Balbo: In praetura, in consulatu praefectum fabrum detulit. Quod autem infert, Molestè tuli non illa beneficia tuae potius ambitioni reseruata esse, quàm meae: ideo dicit quia Rufus deferre & ipse uoluisset. ex quo apparet, deferendi ius & quaestores habuisse. quod etiã declaratur membro proxime sequenti, De centurionibus res est in integro. quasi dicat, poteris deferre, si uoles. nam delati a me nō sunt; quoniam hos quidē triginta diebus deferre lex nō cogebat. Honor tamen aliquanto maior erat, deferri a proconsule, uel praetore, quam a quaestore. Ex pro

S C H O L I A

uincia decessimus) uetusti libri omnes, de
cessimus, habent. nos, una littera i in e commu-
tata, decessimus, scripsimus. ante, decessissimus,
legebatur.

E X E P I S T O L A V L T I M A .

E T E N I M cum esset) alij, ut enim: quam
lectionem nos non admodum probamus: particu-
lae enim, ut, quae respondeat, uox non erit. ex li-
bro igitur scripto Bernadini Maffei, etenim, re-
posuimus.

E X E P I S T O L A V . L I B . V I .

Q V A R E ad eam spem &c.) inconsequens
& obscura locutio: ex quo uereor, ne corrupte to-
tus hic locus legatur. ac fieri tamen potest, ut ita
scripserit Cicero, & inciderit in uitium, quod Grae-
ci σολοικωφανές appellant. cuius generis nonnulla
cum in reliquis eius scriptis, tum in libris maxi-
me contra Verrem deprehenduntur: quae Pedia-
nus notauit.

E X E P I S T O L A V I I .

M V L T A deos uenerati) nihil est immu-
tandum, ut alij crediderunt. nam etiam alibi nomen
pro aduerbio positum est, ut, cum dicitur, Multa
peccas, & Multa egeo. Cicero de natura deorum
III. & pro Murena. Topicorum autem initio,
Cum, inquit, mihi, meiq. multa saepe cauisses. Gel-
lius lib. X III. cap. XX III. Elatum) antea,
Latum: nos, Elatum, meliore, ut opinamur, sensu,
nostram autem lectionem accepimus ex uetere li-
bro

IN EPIST. FAM.

bro Bernardini Maffei.

EX EPISTOLA X.

RECUPERES) antea, Receptis: nos, Re-
cuperes, aliquot iam annis emendauimus, & im-
pressimus. liber uetus habet, Reciperes. & in
alijs etiam exemplaribus, i, litteram, pro, u, sae-
pissime reperias.

EX EPISTOLA XIIX.

SIMVL accipi) uetustorū librorum haec
est lectio: & est Simul, pro Simul ac. cuius uocis
ex ijs, qui soluta oratione scripserunt, exempla
non afferam: (nam si quis erit, qui locum ubique
deprauatum esse contendat, & pro Simul, uel Si-
mul ac, uel Simul atque, legendum dicat: quibus
argumentis contra pugnabimus?) sed e poetis; in
quibus eam uocem in aliā mutari carminis ratio
non patitur. dixit igitur Virgilius lib. Georg. IV.
Taygete simul os terris ostendit honestum Pleias.
& Lucretius lib. I. Cui simul insula uirgineos cir-
cumdata comptus, Ex utraque pari malarum par-
te profusa est. & Horat. ep. x. lib. I. Viuo, & re-
gno, simul ista reliqui. Catullus non semel. Qui-
bus in locis, Sumul, dictum esse pro, Simul ac, licet
animaduertere. quā loquendi consuetudinem qui
non agnouerunt, temere locum immutarunt. quod
alijs quoque locis commissum uideo.

EX EPISTOLA XX.

MVNERVM regionum) aliquot iam an-
nis ita impressimus, cū ex antiquissimis exempla

VV 3 ribus

ribus hæc lectio sumpta esset. in quibusdam tamen libris, *Regiorum*: cuius uocis quæ possit esse sententia, non intelligo. de muneribus autem regionum, idest, de ludis regionatim urbe tota edendis, *Suet. in Cæsare*. In quo sit spes) non uideo, cur quidquam mutari debeat; cum & ita legatur in libris uetustissimis, & sensus meo iudicio sit aptissime commodus. nam, cum dixisset, *Quod eo labore assequi uis, nullo modo assequere; intulit, Aliquid uidebimus, in quo sit spes, idest, quod nos affecuturos sperare possimus. deinde illud: Aliter quidem, &c.*

EX EPISTOLA I. LIB. VII.

P. METIVS) hic est P. Metius, cognomento *Tarpa*, qui ea, quæ in scena recitanda erant, prius iudicabat. eius meminit *Hor. in epist. de arte poetica, et satyra x. libri. l. Homini politico*) uetustos libros, in quibus ita legitur, ego habeo duos, totidem *Sigonius*, habet & *Vbalminus Bandinellus*, *Ioannes Scala*, *Hironymus Ferrarius*, *Bernardinus Maffeus*, *Paulus Botus*, alij, quos nõ necesse est commemorare. itaque nihil muto. quibusdam tamẽ placuit reponere, *Polito*. Fructum ullum laboris exspecto) ueteres omnes libri pro, exspecto, habent, ex his peto. alij legunt, ex his exspecto. mihi nostra lectio magis probatur, ut quæ a ueteri scriptura minus recedat. nam & exspecto, & exscribo, & exsupero, & alia huiusmodi cũ s littera ueteres scribebant, ut ex anti-

quis

IN EPIST. FAM.

quis monumentis licet cognoscere. uide *Quintil.*
lib. 1.

EX EPISTOLA II.

DE Bursa) hic est T. Plancus Bursa, frater
L. Planci, ad quem sunt epistolae lib. x. accusa-
tus est de ui, & condemnatus: a Cicerone; cui an-
tea tribunus pl. in caussa Milonis aduersatus fue-
rat, & in concionibus magnam inuidiam concita-
tarat. postea rerum potitus Caesar eum, & om-
nes lege Pompeia damnatos restituit. Dio, Pe-
dianus, & alij.

EX EPISTOLA III.

OPTAREM, multae causae) sic an-
tea. nos ex libris antiquis uocem, causae, sustuli-
mus, ut purior, & elegantior sit lectio. Me uo-
luisse etiã reliquis omnibus; post quam non
potuerim, mihi ipsi finem fecisse belli) hic
locus antea in omnibus impressis perperam distin-
ctus sensum peruertebat.

EX EPISTOLA V.

M. FVRIVM) uarie legitur in libris scri-
ptius, M. Infinium, Mirifium, Idfium, M. Li-
fium. ut difficilis ad deligendam, aut inueniendam
ueritatem coniectura sit. alij, M. Orfium, impres-
serunt, arbitrati eum esse, de quo in epist. xi.
lib. ii. ad Q. fratrem. quod mihi secus uidetur.
ex hac enim epistola, qua Trebatium cõmendat,
eum ante Trebatium iuisse ad Caesarem, manife-
stum est. cum autem ad Q. fratrem scribit, dicit se

VV 4 eas

eas litteras M. Orfio dedisse, cum iam Trebatius in exercitu Caesaris esset: quod in iisdem litteris postea significat, cum inquit, Trebatium ut ualde ames, uehementer te rogo. Hunc Lepta delegam.) ita uideo scriptum esse in quattuor antiquis libris. locus perspicue mendosus: nec mihi ipse assentior in uetere coniectura: infirmo enim nititur argumento. nec mirum est, non probari aliquid iam senescenti, quod scripserim adolescens. Quod familiam ducit) quod caput est, quod in eo summum est: ut referatur non ad Trebatium, sed ad id, quod dicit, In iure civili singularis memoria, summa scientia. cum enim Trebatium a multis rebus laudasset; memoriã, et scientiam in iure civili ceterarum laudum, quibus Trebatius abundaret, quasi familiã dixit ducere; translatione sumpta a rectoribus familiarum, quos domestici omnes ueluti duces sequuntur. Phil. v. Putidiusculi) paullo, quam satis est, diligentiores. excusat enim se, quod in Trebatio comendando plura uerba consumpserit, quam Caesaris humanitas patiatur. putidum autem appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi possit, ut de Oratore lib. iiii. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari diligentius. & de Off. lib. i. Litterae neque expressae, neque oppressae; ne aut obscurum esset, aut nimis putidum. Legitur in nonnullis uetustis libris, blandiusculi; sed in antiquioribus, quos secuti sumus, putidiusculi. Didicisse) hoc dicit, quia Treba-

IN EPIST. FAM.

tius Cornelij auditor fuerat in iure civili. Digest.
lib. I. Titulo II.

EX EPISTOLA IX.

PROPTER eius occupationes nihil sum
aufus scribere) in duobus uetustissimis libris nõ
est uox illa, Occupationes ; sed eius loco spatij ali-
quantum est relictum. ex quo credimus, a recenti-
oribus, quorum inscientia deprauati leguntur
ueterum scriptorum libri, uocem, Occupationes,
esse repositam. nos, quid ea dictio, quam in exscri-
bendo librarius omisit, significare potuerit, asse-
qui coniectura nõ possumus. graecam quidem de-
esse crediderim. id enim uerisimilius est, quam la-
tinam: ut etiam alibi cognoscitur in ipsius Cicero-
nis scriptis, ubi graecum desideratur ex librario-
rum inscitia; qui cum id legere non possent, omit-
tebant, relicto spatio, ut ab alijs aliquando repo-
neretur. in V baldini libro apparet spatium fuisse.
quo in loco reposita est uox, Occupationes, non
eiusdem librarij manu. Cum haec multis iam
annis scripsissem, incidi in tres minime recentes
libros, in membrana, et unum praeterea minime
recentem, scriptum tamen, in quibus uideo esse,
Occupationes. Luctum, autem, quod uerbum alijs
ex ingenio reposuerunt, in uetustis libris, cum
paene innumerabiles uiderim, nondum inueni.

EX EPISTOLA X.

AUT consolando, aut consilio, aut re iu-
uero) senarius integer e Terentij Heautontimoru
m eno

S C H O L I A

meno translatus in hūc locū. sic enim in ea fabula, actu 1. scena 1. cum Menedemo loquens Chremes inducitur: Istuc, quidquid est, fac me, ut sciam: Ne retice; ne uerere; crede inquam mihi: Aut consolando, aut consilio, aut re iuvero. Terentius porro, ut opinor, a Plauto, paucis immutatis, accepit: apud quem in Pseudolo, actu primo, ita loquitur Pseudolus seruus: Fac me certum, quid tibi sit: iuuabo aut re, aut opera, aut cōsilio bono.

EX EPISTOLA XI.

OMNIBVS, unde petitur) debitoribus. ita etiam de Orat. lib. 1. Homo ex disertorum numero postulabat, ut illi, unde peteretur, metus at quae usitata exceptio daretur, Cuius pecuniae dies fuisset. apud iurisperitos frequens est locutio.

EX EPISTOLA XII.

FIDUCIAE, inter bonos bene agier? quis) ita legitur in uetere libro. & sane crediderim, non aliter hunc locum esse scribendum: etsi priorem lectionem conseruarim. uoces enim illae, VT, &, OPORTET, quae in impressis, additae sunt ab imperito, qui locutionem parum integram crederet; cum alibi a Cicerone iurisperitorum formulas sine uerbo citari non animaduertisset, ut de Off. lib. 111. In fiducia, inquit, inter bonos bene agier. uetusti enim libri non habent, VT. & ibidem paullo post: Cum dicitur, Inter bonos bene agier, quidquam agi dolose, aut malitiose potest? Libro etiam Topicorum, ubi eadem

eadem haec usurpantur uerba, ueteres libri ab impressa lectione dissentientes, nostram sententiam confirmant, quam etiam Romae doctissimis hominibus probauimus.

E X E P I S T O L A X I I I.

TREVIROS uites, censeo: audio capitales esse.) ut unicuique, quod suum est, tribuamus, Petri Bembi, hominis & dignitate, & omnium paene uirtutem laude clarissimi, epistolam, qua huius loci sententiam diligentissime, et ornate explanauit, adscribemus. nō enim eos imitari placet, qui, ex aliena industria sibi laudem aucupantes, quae ab alijs didicerunt, edunt pro suis. Petrus Bembus Bernardino Sandro S. Quod hodie mane quaerenti tibi a me de illis Ciceronis ad Trebatium uerbis: Treuiros uites censeo: audio capitales esse: mallet, auro, argento aere essent: respondi, iocum esse & multiplicem, & festiuum: qui quidem iocus in antiquis nummis, & scriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in uia, ut neque libros, neque nummos haberemus, reieci te in alium diem: id, ne te diutius torqueat, est eiusmodi, ut ioci causa, quod quidem Cicero ad illum scribens more suo fere semper facit, & Treuiri, & capitales in ambigui genere sint posita. nam cum uideatur monere illum, ut uitet Treuiros Galliae populos, qui capitales, bellicosiq. sint; ludit cum in Treuiorum, tum in capitalium uerbo. erat enim Romae magistratus,

S C H O L I A

magistratus, Triumviri capitales, qui etiam Tre-
viri dicebantur. sed quoniam hoc ipsum Trium-
virum nomen iterum in ambiguo poni poterat,
cum essent etiam apud Romanos Triumviri pecu-
niae cudendae: quos ita inscribebant, A. A. A.
F. F. hoc est, Auro, argento, aere flando, ferium-
do: iocatur iterum in hoc verbo, luditq. Cicero,
ut mihi quidem videtur, bellissime, addens, mallem
Treuiros istos esse pecuniosos, quam bellicosos; ut,
Caesare eos vincente, tu ditesceres. ita que infert,
mallem esse Treuiros auro, argento, aere, quam
scilicet capitales. Trium viros autem Treuiros
solitos dici, Linius satis locuples esse testis potest:
cuius sunt haec in libro x l. Colonia Graufcae eo
anno deducta est in agrum Etruscum, de Tarqui-
niensibus quondam capti. quina iuger a agri data.
Treuiro deduxerunt C. Calpurnius Piso, P. Clau-
dius Pulcher, C. Terentius Hister. Quod uero
Triumviri pecuniae sic, ut dixi, inscriberentur;
est apud me nummus aereus perantiquus ita in-
scriptus, C. PLOTIVS. III VIR A. A. A. F. F.
sunt & alij nummi aliorum nominum, eiusdem
tamen tituli; quos inspicias, cum noles. Haec ad
te scripsi, cum domum redissem, & nummos, ac
librum sumpsissem, amore tui admonitus. Vale.
Pridie idus Iun. M. D. XXXII.

EX EPISTOLA XVI.

NON nimis φιλοδέωρον) aliter antea in omni-
bus impressis: nos, ut in nostro libro legitur, e-
mendauimus,

mendauimus, & impressimus aliquot abhinc annis. iocans enim, ut solet, dicit se Trebatium non reprehendere, quod non nimis spectandi cupidus fuerit, id est, quod in Britanniam profectus non sit, ut essedarios spectaret. tacite autem ut ignauum, & pusilli animi subaccusat, qui Caesarem in Britanniam sequi ad bellum noluerit. Respondere) negant, inquit, esse qui percunctentur: cum homines te iurisconsultum imperitum existiment. iocatur enim in uerbo respondere: quasi dicat: negant te habere, cui respondeas, cum scilicet nemo te consulat.

EX EPISTOLA XVIII.

GRAECVLAM tibi mihi cautionem chirographi mei) puto sensum esse. commendaui te Caesari litteris graece scriptis. Quam haec scribere) suspicor mendum subesse. mihi enim per obscurus est sensus. &, ut libere dicam, quod sentio, legendum crederem, quam exscribere, nulla propemodum mutatione facta. ut hoc Cicero dicat. Video te parum ditescere, cui charta desit, in qua tuas formulas, aut aliud quippiam exscribas. ea enim si suppeditaret, numquam profecto ad nos in palimpsesto. infert enim, An hoc significas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi suppeditare? M. Aemilii Philemonis) cum in libris antiquis uarie legeretur: (quidam enim, Meulij, quidam Metilli, alij Matrini, habent) ausus sum emendare, M. Aemilij. procul enim dubio libertus fuit, adoptatus in Romanam familiam,

liam, ut alij multi. cum autem Metriliorum, mentione nodum inuenerim; & uetustorum exemplarum uarietate, in quibus uerae lectionis quasi quaedam uestigia cernuntur, (quid enim distat, Menilij, a M. Aemilij?) & Pediani uerbis, qui eiusdem, ut opinor, liberti mentionem facit, adductus sum, ut, M. Aemilij, reponerem. libet autem ipsius Pediani locum recitare, ut studiosis quaerendi labor absit. is igitur ita in argumento orationis pro Milone. Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, nouum hominem, & libertum M. Lepidi. Ita tamen hoc sentimus, ut, afferentibus alijs meliora, perlibenter de nostra sententia discessuri simus.

EX EPISTOLA XIX.

DOCTOREM tamen, lumenque desiderant) omnino in omnibus antiquis libris pro lumenque legitur, V numque. ego tamen libentius ligerim, V sūque, id est exercitationemque: ut dicat idem, quod supra, nullam artem litteris sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse. ita enim, unius litterulae mutatione, apta in primis, & perspicua efficitur sententia. Mouet omnino me, si quem alium, librorum ueterum auctoritas, neque tamen ita, ut non eos quoque ipsos interdum coniectura & ingenio modice adiuuandos putem. quae uero nuper alij attulerunt, ad ueterem illam scripturam confirmandam, etiamque
 exemplo,

IN EPIST. FAM.

exemplo, ut ipsis uisum est, simili cōprobendam,
leuiora sunt, quam ut aut me, aut quemquam,
qui re ipsam ex ueritate pendat, mouere debeant.

EX EPISTOLA XX.

RUFIO medijsfidius tuus) tuus, inquit,
quod eiusdem esset gentis. Rufio enim Trebatorū
cognomen fuit. id ex lapide constat, qui Romae
est in porta Latina: sic enim in eo scriptū legitur.

C. VIBIVS. C. F. MACER. C. TREBATIVS
RVFIO. FACIND. CVRAVERVNT.

Habet lucum) sunt, qui, lucum, ideo male le-
gi credant, quod neque luci capax esset prinata do-
mus; & luci, quia sacri, non sine scelere incidi
possent. nos existimamus, lucum non intra pa-
rietes, sed ante aedes Trebatij fuisse; neque Ci-
ceronem impie sensisse, qui eum a Trebatio caedi
uellet. quo modo enim recte, & sine piaculo id fie-
ri possit, docet M. Cato in primo de re rustica. li-
bri ueteres, locum, habent omnes, uno excepto,
in quo est, lacum. inde, lotum, (ut de arbore in-
telligatur) potius quam lucum, quidam legere
maluerunt. quā coniecturam probare nō possum;
cum proxime sequatur, A quo: quod certe ad ar-
borē referri non licet. ut alia omittā argumenta.

EX EPISTOLA XXIII.

MANEAT Damasippus in sententia)
ut emat a me, quemadmodum dixit, quae mihi nō
placuerit. est autē is, de quo Horatius sat. III. lib.
VI. Insanit ueteres statuas Damasippus emendo.

EX

S C H O L I A

E X E P I S T O L A X X I V .

C A P I V S , opinoꝛ , olim , non omnibus dormio) Dixit , Opinoꝛ , quia de nomine , non de dicto , dubitabat . & sane Cipium , non Capium , F. flus nominat : adagiumq. hoc , Non omnibus dormio , natum esse a Cipio quodam scribit , qui Pararhencon diceretur , quod simularet dormientem , ut impunius uxor moecharetur . Libri ueteres , Citius , & Caepio ; alij uero aliter habent . Respondi , nullo modo me facere posse , cū uellem , alium diem si sumpsisset , me ei non defuturum) malim sic : respondi , nullo modo me facere posse : quem uellet , alium diem si sumpsisset , me ei non defuturum . & eodem modo eadem de re epist. XLVII. lib. XIII. ad Atticū locutus est .

E X E P I S T O L A X X V .

V E R E O R , ne in Catonem , Cato in nos) hanc lectionem cum alij uetusti libri habent , tum is , qui est apud Bernardinum Maffeuꝛ . sensus est . uereor , ne nos scribamus in Catonem , & eum nostris scriptis laudemus : Cato autem laudatus exitio nobis sit , Caesare nos , quod ipsius inimicum laudemus , male multante . quasi dicat : uereor ne Catonem extollamus , ipsi autem deprimamur . et dixit , in Catonem , (subaudi , scribamus) id est in Catonis laudem , ut de oratore lib. II. & de natura deorum lib. I. Alij malunt legere , Vereor ne in Catonium Cato nos , hoc sensu . uereor , ne Cato in Catonium , id est exitum
suo

IN EPIST. FAM.

suo simillimum nos trahat. M. Antonius Mure-
tus uereri se aiebat, ne pro Catonium, Charoni-
um legi deberet. eo enim nomine uocabatur A-
thenis ianna quaedam nomophylacij, per quam
damnati abducebantur ad mortem. qua de re Pol-
lucis e lib. V I I I. uerba sunt haec. τοῦ δὲ νομοφυ-
λακίου δούρα μὲν χαρωνεῖον ἐκαλεῖτο, δὲ ἡς ἐπὶ θανά-
τῳ ἀπήγοντο.

EX EPISTOLA XXVII.

GALLO S. D.) alij credunt, hunc esse M.
Fabium Gallum, qui de coniuratione Catilinae,
quae ab Allobrogibus acceperat, ad Ciceronem
detulit. sed Octavius Pantagathus, uir sane his
litteris, quae humaniores appellantur, instru-
ctus, sed maximarum doctrinarum cognitione
longe praestantior, hunc potius existimat esse P.
Sextium, pro quo exstat oratio, cui cognomen
fuerit Gallo. fuisse enim hoc Sextiae gentis cogno-
men, intelligitur ex oratione pro Milone, ubi ita
scriptum est: Sacrarium, quod est in fundo T. Sex-
tij Galli. Tribunatum autem plebis & petijisse
Sextium Ciceronis restituendi caussa, & pro eius
salute gessisse, ex ipsius Ciceronis oratione notis-
simum est. quod idem de M. Fabio dici non potest,
neque enim is, quo tempore Cicero exsulauit, tri-
bunus fuit. Nam quod infra dixit, Si falsa fue-
runt, quae tu ad me detulisti: significat ea, quae
Sextius, C. Antonij consulis quaestor, ad Cice-
ronem consulem de ipso Antonio, consule suo, de-
tulit.

SCHOLIA

tulit . sic enim in oratione pro eodem Sextio habita . Quæstor C. Antionij , cogellae mei , fuit forte , sed societate consiliorum meus . impedior non nullius officij , ut ego interpretor , religione , quo minus exponam , quanta ad me detulerit . Hæ rationes faciunt , ut amicissimi hominis sententiae libenter acquiescam .

EX EPISTOLA XXX.

SALVIS rebus) potius , rep. nõdum afflicta , quam , ut quidam uolunt , sine bonorum imminutione . sic enim dixit etiam ad Sulpicium ep. i. lib. IV. Vtinam Serui , saluis rebus , colloqui potuissemus inter nos . et Academ. lib. II. Deli fuisse permultos saluis rebus illis .

EX EPISTOLA VLTIMA.

PENNIGERO , non armigero in corpore) non dubium est intelligi de auibus , quas Philoctetes configebat tardus celeres , stans uolantes . alij tamen , Pinnigero , maluerunt , contra Quintilianianam sententiam , qui pinnae de auibus dici non uult . Illis interioribus litteris meis , quibus saepe uerecundior me in loquendo facis) iamdiu suspicatus sum hunc locum esse deprauatũ . neque enim , si ita legatur , sensus elici bonus possit . Hieronymus autem Ferrarius arbitratur esse legendum , Illius interioribus litteris , eis , quibus saepe uerecundior me in loquendo facis . cuius sententiae nos facile acquiescimus . ita enim & aptus colligetur sensus , & erit locutio sanequam

IN EPIST. FAM.

quam elegans : qua in suis scriptis ita frequenter Cicero est usus , ut eius exempla huc afferre putidum prope sit .

EX EPISTOLA IV. LIB. VIII.

LENTULI Cruris) hic est , opinor , L. Lentulus Cruscellus , qui anno sequenti consul fuit cū C. Marcello . puto autem illum & Cruris , & Cruscelli cognomine indifferenter appellari solitū . Ratione , & insidiis usus uideretur in euitandis eorum consiliis) fortasse melius , Ratione , & consilio usus uideretur in euitandis eorum insidijs . Laelios) fortasse , Lollios ; qui Caesaris amici fuerunt , quemadmodum Antonij . nam Laelij Pompeiani . qua in opinione magis sum cōfirmatus , (postea quam in epistola 111. libri v. ubi , Laelium , impressum erat , uetustissimos libros , Lollium , habere uidi . Mea porro comitia quem euentum sint habitura) sic antea in omnibus impressis : nos uocem , Comitiam , sustulimus : quae subintelligitur ; ut etiam cum dixit , Praetorijs morae quaedam inciderunt .

EX EPISTOLA V.

QUODAM silice iam omnia) liber uetustus Ioannis Scalae sic habet , Quodam omnia in Sicilia : Bernardini Maffei , Quodam uicilicra omnia : qui est in Medicea bibliotheca ; & qui apud Vbalinum Bandinellum , Quodam incilicia omnia . uulgata lectio non est in antiquis libris . uidentum an ita legi possit , Quodam incili iam omnia .

XX 2 notum

S C H O L I A

notum autem, incile quid sit.

E X E P I S T O L A V I.

CONFECTA, omnia foeda, & inhonesta sūt) hoc in loco uetusti libri inter se discrepāt. nos eum, quam habet Ioannes Scala, ut minus deprauatum, secuti sumus: sic enim in eo legitur, Confecta omnia foeda, & inhonesta sunt. ex quo adducti sumus, ut, una littera immutata, legeremus: Confecta, omnia foeda, & inhonesta sunt. post in Petri Bembi libro, confecta omnia, diserte scriptum animaduerti. Tabernariis) aquarum ius penes aediles, & censores erat. itaque, cum tabernarij publicas aquas in suū usum deducerent, Coelius, qui tunc aedilitatem gerebat, ea de re cū tabernarijs & aquarijs pugnavit: concionem etiam de aquis scripsit, cuius meminit Frontinus libro II. de aquae ductibus. Viariam) dicit nescio quid Appianus de uijs a Curione instauratis: tamen, Vinariam, magis probarem, quam Viariam: & post, Quis iubet aediles metiri. ut hoc dicat: iubet aediles legibus, quas ipse fert, uinum, & alimenta populo metiri. legem & P. Clodius tulerat de annonā: de qua in oratione pro Sextio, & Asconius in Pisonem.

E X E P I S T O L A V I I.

PAVLLA Valeria) alij, an haec Bruto nupsit, dubitare uidentur, propterea quod libro XI. Pollam Bruti uxorem fuisse perspiciant. ego nupsisse existimo, et eam ipsam esse, quae libro

XI.

XI. appellatur Polla: ut, quemadmodum ab aula
 olla, sic a Paulla Polla dicta sit. Nondum retu-
 lerat) si ita legatur, subintelligi poterit, dotem.
 sed mihi non displicet amicissimi mei coniectura,
 qui ita legendum putat, mundum retulerat.
 mundus autem muliebris qui sit, exponit Lilius
 lib. XXXIII. Munditiae, inquit, ornatus, &
 cultus, seminarum insignia sunt. hunc mundum
 muliebrem appellarunt maiores nostri,

EX EPISTOLA VIII.

M. TULLIUM, accusatorem suum etc.)
 huius loci sensum, etsi obscurissimus est, tamen
 declarare conabimur. Reorum causae ordine a-
 gebantur. nam quae tempore prior fuerat, eius
 prior item locus erat. excepiebantur tamen eae
 causae, quae cum causis iam iudicatis coniunctio-
 nem aliquam habebant, ut earum quasi appendi-
 ces quaedam uiderentur. eiusmodi enim causis,
 etiam si post multas alias delatae essent. tamen
 primus locus erat constitutus. itaque in oratione
 pro Cluentio, Fabricium, inquit, reum statim
 facit; utq. ei locus primus constitueretur, pro-
 pter causae coniunctionem impetrauit. Propter
 causae coniunctionem, inquit, quod Fabricij
 causa eadem erat, quae Scamandri, qui antea
 condemnatus erat. & infra in eadem oratione:
 Apud eosdem iudices reus est factus Oppianicus,
 cum is duobus praeiudicijs iam damnatus esset. ab
 iisdem autem iudicibus locus ei primus est consti-

tutus. Hoc ideo factum est, quod Oppianici causa coniunctionem habebat cum Fabricij, & Scamandri causa, quos iudices iam damnauerant. Excipiebantur etiam causae de ui, quae primo loco agebantur, reiectis alijs causis, quae tempore priores fuerant. sic Milonis causa, quod erat de ui, extra ordinem est acta. sic M. Coelius, cum Atratini patrem de ambitu reum fecisset, de ui postea accusatus, causam ipse prior dicere coactus est. sic etiam C. Sempronius cum a M. Tutio esset accusatus, et causam suam eo anno nollet agi, (forte, quod ex ijs, qui tunc iudices erant, complures sibi infensos intelligeret) accusauit accusatorem suum lege Plotia de ui, eo consilio, ut, interposita extraordinaria causa, tempus tereretur, et suae causae iudicium, cum eius agendae spatium non esset, in annum sequentem necessario reijceretur. Extraordinarius autem reus is dicebatur, cuius causa non ordine, ut aliae causae, sed primo loco semper ageretur: & inde extraordinaria causa, quae sitim ante omnes causas ageretur, ut cum erat de ui, uel coniunctionem habebat cum aliqua causa ante iudicata. Latrensi leges ignorans, pronunciauit quod singulis ordines iudicassent) cum ex tribus ordinibus, qui res iudicabant, duo Seruilium absoluisent, unus condemnasset; uniuersorum autem iudicum aequo numero sententiae fuissent; Latrensis, qui ordines, non sentias, spectaret, absolutum

solutum credidit, seq. eum in tabulas dixit abso-
 lutum relaturum; postea, cum in lege reperisset,
 non ex ordinum numero, sed e iudicum maiori
 parte uel absoluendos, uel condemnatos esse reos;
 non retulit, ut dixerat, in tabulas absolutum:
 ordinum iudicia perscripsit. Fusius autem expli-
 cabimus, propterea quod obscurior est sensus, ita
 ut eum pauci uiderint, nemo certo ostenderit. nō
 enim, in quo Laterensis praetor deceptus sit, ani-
 maduerterunt. quod nos pluribus uerbis, ut etiam
 tardiores intelligant, ostendemus. Iudicia penes
 tres ordines erant: qui quidem tres ordines ex se-
 natoribus, equitibus, tribunis aerarijs consta-
 bant. fieri autem poterat, ut, quem duo ordines
 absoluisent, unus condemnasset, is tamen non ab-
 solutus, sed condemnatus iudicaretur, hoc modo.
 Eunt in consilium senatores $xxvi$. equites xxv .
 tribuni aerarij $xxiv$. ex senatoribus absoluunt
 reum xiv . condemnant xii . ex equitibus absolu-
 unt $xiii$. condemnant xii . ex tribunis aera-
 rijis absoluunt iv . condemnant xx . si ex ordinum
 numero iudicaretur reus, absolutum apparet:
 quippe cum ex tribus ordinibus absoluerint duo,
 senatorius, & equester. cum autem lex, quod iu-
 dicum maior pars iudicarit, id ius ratū esse uelit:
 condemnatum reum, nemo est. quin uideat, cum
 sententias graues habuerit $xliv$. absoluto-
 rias $xxxi$. praetor autem Laterensis cum ex
 more pronunciare deberet, quot sententijs absolu-
 tus,

S C H O L I A

tus, quot esset condemnatus reus; leges ignorans,
 de numero iudicum nihil, de ordinibus, quod sin-
 guli iudicassent, pronunciauit, ac se in tabulas ab-
 solutum dixit relaturum. postea cum, lege per-
 specta, erratum intelligeret, dubius animi, quid
 ageret; quod neque contra legem, neque contra
 id, quod pronunciarat, uellet facere; neque absolu-
 tum, neque damnatum retulit; tantum ordinum
 iudicia perscripsit. ex quo paullo post infert Coe-
 lius: Sic nunc neque absolutus, neque damnatus
 Seruilius, de repetundis saucius Pilio tradetur.
 Emissario est factus) in antiquo libro Mediceae
 bibliothecae, & in duobus praeterea, Petri
 Bembi Cardinalis, & Vbalдини Bandinelli, legi-
 tur; emissa rustetio factus. forte corrigendum,
 emissario, S. Tettio factus: ut existimat amicis-
 simus meus. Tettios autem et libertos, & ami-
 cos Claudiorum fuisse, e qua gente erat Appius,
 ostendit Asconius, ubi in oratione pro Milone lo-
 cum illum explanat: Haec insidiata Pompeio est.
 quamquam ibi tantum de Damione Clodij liberto
 loquitur. sed Damionem Tettiae gentis fuisse,
 ostenditur in lib. 4. ad Atticum epist. 3. itaque
 hic Coelius, de Appio loquens, Accusatus, in-
 quit, est a quodam suo Sexto Tettio. nam cum,
 Sextus, antiqui significare uolebant, uel Sex. scri-
 bebant, uel S. ita patebit & uera lectio, & sen-
 tentia. quo quidem eo magis inclino, quod etiam
 in libro peruetere Caroli Sigonij scriptum uideo,
 Emissa

Emissa iustitia: ut in hac uarietate augeatur mendii suspicio, & ad uarietatem indagandam quasi latior uia patefiat. L. Iulius L. F. Pom. Annalis.) Villius, pro Iulius, reposuimus. nam Annales plebeij: & Iulij patricij. sic etiam in Liuius, ubi erat Iulius, correxit, & reposuit, ingenio doctrinaq. excellens, summa mihi coniunctus amicitia, Carolus Sigonius. POM. tribus Pomptina fuit. nam ex xxxv. tribubus, aliquam, ut inquit Pedianus, necesse erat, cuiuscumque esset ordinis, cuius Romanus obtineret. is autem ostendebatur a praenominae suo, a nomine, (nomine autem familia significatur) a patris praenomine, a tribu, a cognomine, ut Philippica Ix. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus: Lemonia enim tribus est ablatiui casus: ut sit, ex Lemonia, ut inquit Asconius. in lapidibus autem antiquis fere semper, in libris aliquando prioribus tantum modo litteris significari tribus animaduertas, ut in hoc s. C. ubi enim legitur: Pom. sciendum est, Pomptinam intelligi: ubi Pop. Popilliam: ubi Pup. Pupiniam: ubi An. Aniensem: quod cum antea non esset exploratum, alij pro An. Capito, duabus uocibus coniunctis legebant Ancapato: Bernardinus autem Rutilius in suis annotationibus credidit, antiquas notas fuisse, quae significarent, Ateij nepos. in quo quam deceptus sit, non attinet dicere. si enim ab auo ostendendus aliquis erat, non ab eius nomine, sed a praenomine ostendebatur.

ostendebatur. sed incidit in errorem, quia tribum Aniensem non agnouit, quae duabus modo litteris, ut iam dixi, scripta fuerat. quae me ratio mouit, ut ubi, Puphirrus, uno tantum uerbo antea legebatur, duabus, in nostro libro scriberem, Pup. Hirrus, idest, Pupina Hirrus. tribus enim ante cognomen ponebatur, ut & hic, & alibi licet uidere. Quoniam autem hanc tribum cognitionem non ita facilem esse perspiciamus, (nam & Volaterranus, & Alexander, qui dies Geniales scripsit, & alij, quos non necesse est commemorare, parum uidentur in suis libris earum numerum, & nomina tenuisse) studiosis non fore propterea inutile, aut iniucundum arbitramur, si, quae in hanc rationem dispersa in ueterum monumentis leguntur, coacta huc afferamus. quae cum olim scripserim adolescens, cum haec noua uidebantur; nunc eadem, correctione quadam, breuissime colligam. Fuerunt igitur Romanae tribus omnino XXXV. quarum nomina infra scripsimus, & scriptores aliquot, qui de ijs meminere, apposuimus; ut inde fecilius earum, ac certior unicuique cognitio sit.

AEM. AEMI. AEMILIA. Cic. ad Atticum lib. II. Liuius lib. XXXVIII. antiquae inscriptiones.

ANI. ANIENSI. Cicero pro Plancio, Liuius lib. X. antiquae inscriptiones.

ARN. ARNIEN. ARNIENSIS. Cicero in Agraria I. Liuius libro VI. & libro XXIX
ubi

IN EPIST. FAM.

ubi corrupte legi putamus *Narniensis*. nam lapis antiquus, quem *Vulsinijs* in templi parietibus vidimus, expressam *Arniensis* mentionem continet.

CL A. *Claudia*. *Liuius* lib. II. *Virg.* lib. VII. *Pedianus pro Scauro*, *Dionysius Halic.* lib. V. antiquae inscr.

CLV. CLVST. *Clustumia*. *Cicero pro Plancio*, *pro Balbo*, *Festus*, antiquae inscr.

COL. *Collina*. *Varro* libro IV. de ling. lat. *Plinius* lib. XVIII. c. III. *Festus*, antiquae inscr.

COR. CORNEL. *Cornelia*. *Liuius* libro XXXVIII. antiquae inscript.

ESQ. EXQ. *Esquilina*. *Varro* lib. IV. de ling. lat. *Plinius* lib. XVIII. cap. III. *Festus*, antiquae inscr. est praeterea in aedibus uiri optimi, ualdeq. eruditi, *Gentilis Delphinij Romani* fragmentum antiqui lapidis cum hac tribu.

FAB. FABIA. *Hortatius* epist. VI. lib. I. *Suetonius in Augusto*, antiquae inscr.

FAL. *Falerina*. *Liuius* lib. IX. *Neapoli* antiquus lapis est ita inscriptus: C. PISTORIO. C. F. FAL. FIRMO. AEDIL. II VIR. CVRATORI. OPER. PVBLICOR. item *Iosephus* εν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ, κεφ αλῆς ζ.

GAL. *Galeria*. *Liuius* lib. XXVI. *Plinius* lib. VII. cap. XLIX. etsi, pro *Galeria*, legitur *Galerius*. sed corrigendus locus est ex antiquo

antiquo libro auunculi mei *Francisci Asulani*. & antiquae inscriptiones.

HOR. uel **HORAT.** *Horatia*. Scriptum in libris de hac tribu nihil est: in lapidibus tamen nomines nominatur. deductam satis constat a uetere familia patricia, ut alias non paucas.

LEM. *Lemonia*. Cicero pro *Plancio*, *Phil.* IX. *Festus*. antiquae inscriptiones.

MAEC. *Maecia*. hanc in antiquis lapidibus duobus inuenimus: *C. OCTAVIO. C. F. MAEC. VERO. C. HERBACIO. MAEC. ROMANO.* in libris quinquies nominatam obseruauimus, a *Tullio lib. IV. ad Att. epist. XIV.* a *Liuiio lib. I IX. & XXIX.* a *Valerio Max. libro II. cap. IV.* a *Festo*.

MEN. **MENEN.** *Menenia*. Cicero *lib. XIII. ep. fam.* *Iosephus* ἐν τῷ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγῳ, κεφαλῆ ἰζ. cum quibus lapides tres consentiunt: *C. VALERIO. C. F. MEN. DOTVLIO. MARCIANO. A. MVNIO. A. F. MEN. BV ARISTO. C. CATIO. C. F. MEN. BALBO. C. CATIVS. C. F. MEN. GALLVS.* & hic *ep. IX. lib. XIII.* Deducitur ab antiqua familia patricia, ut aliae octo, *Aemilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Horatia, Papiria, Sergia, Veturia.* nam *Publilia* nomen accepit a plebeia gente.

OVF. *Oufentina*. *Liuius lib. IX. Festus, Lucretius*, antiquae inscript.

- PAL. PALAT.** Palatina. Cicero in *Verré*, *Pedius*, *Varro* lib. IV. de lin. lat. *Plinius* lib. IIX. cap. III. *Liuius* lib. XX. *Festus*, antiquae inscr.
- PAP. PAPIE.** Papiria. *Liuius* lib. IIX. *Festus*, antiquae inscript.
- POB.** Poblilia, quae deinde *Publilia* scripta est. sicuti ex *Poblius* *Publius* factus est. reperitur in lapidibus & *PV.* & *PVB.* & *PVBL.* & *PVBLIL.* et *POB.* *Liuius* lib. VII. antiquae inscript. Puto hanc esse, quam *Festus* *Popillia* nominat: de qua *Valerius* lib. IX. capit. X. & antiquae inscriptiones.
- POL.** Pollia. *Liuius* lib. XXIX. *Valerius Max.* lib. II. cap. IV. & lib. IX. cap. X. antiquae inscriptiones.
- POM. POMP.** Pomptina. Cicero ad *Atticum* lib. IV. *Liuius* lib. VII. *Festus*, antiquae inscr.
- PVP.** Pupinia. Cicero ad *Quinctum fratrem* lib. III. *Liuius* lib. XXVI. *Festus*. duo antiquorum lapidum exempla exstant, alterum *Cuapue*, D. VIBIDI. D. F. PVP. NIGRI; alterum *Patauij*, CLAVSIO. C. F. PVP.
- QVI. QVIR.** Quirina. Cicero pro *Quinctio*, *Asconius*, *Festus*, antiquae inscript.
- ROM.** Romilia. Cicero in *Verrem*, idemq. in *agraria* I. *Asconius*, *Varro* libro IV. de ling. lat. *Festus*, *Seruius* in comment. III. *Aen.* antiquae inscr. est etiam *Ferrariae* semifractus lapis, in imis summi templi parietibus instratus,

tus, in quo ita scriptum uidimus, - I T I O.
T. F. R O M.

S A B. Sabatina. Liuius lib. VI. Festus, lapis antiquus Romae in aedibus eximij Cardinalis Carpensis : C. N. C O R N E L I O. C. N. P.
S A B. M V S A E O. M A N C I P I. V I A E.
A P P I A E.

S C A. Scaptia. Liuius lib. VIII. Suetonius in Augusto, Festus. lapidis antiqui exemplum Romae extat in regione Pantheonis : C. A V -
F E L I V S. C. F. S C A. S E V E R V S.
& item aliud, C. G R A N T A N I V S. S C A
P T I A. M A C E R.

S E R. S E R G. Sergia. Asconius, antiquae inscr.
S T E L. Stellatina. Liuius lib. VI. antiquae inscr.
S V B. S V C. Suburana, Succurana. Varro lib.
IV. de ling. lat. Cicero etiam agraria II. quo
in loco uidetur corrupte legi, Ab Oriculana:
cum in libris quinque antiquis legatur, Ab u-
sura nam. unde mihi orta coniectura est, legi
posse, A Suburana, mutatione fere nulla. Pli-
nius libro XVIII. cap. III. Festus, antiquae
inscr. & alibi.

T E R. Terentia. Cicero pro Plancio, Liuius lib.
X. antiquae inscr.

T R O. T R O M B N. Tromentina. Festus, Li-
uius etiam libro VI. scripsit, Tromentina, ut
opinor, non, ut impressum est, Promentina. an-
tiquae inscript.

V B I E N.

IN EPIST. FAM.

VEIEN. *Veientina. pro Plancio, antiquae inscr.*
 VEL. *Velina. Cicero ad Atticum lib. IV. & in*
Bruto, Hortat. epist. VI. lib. I. Persius Sat. V.
antiquae inscr.

VET. *Veturia, hoc lapide notata, C. CAS-*
SIVS. C. F. VET. & hoc, SEX. APVSIVS.
SEX. F. VET. & hoc, SEX. CALPV R-
NIVS. SEX. F. VETVRIA.

VOLVOLT. VOLTIN. *Cicero pro Plan-*
cio, antiquae inscr. & in antiquo lapide, qui est
Venetys in turri S. Vitalis: CN. NVMBE-
RIVS. CN. F. VOL. FRONTO. VETER.
E Q. LEG. VIII. AVG. IIII VIR. I. D.
T. F. I. SIBI. CN. NVMERIO. CN. L.
FELICI. IV. VIR. CRESCENTI. L.
TVENDO. L.

Ex hoc numero quattor tantū uerbae fuerunt,
Palatina, Esquilina, Collina, Suburana, in quas,
ut inquit Plinius, transferri ignominiae esset,
dictae a partibus urbis, in queis habitabant. reli-
quae omnes rusticae, laudatissimae, eorum, qui
rura haberent: quae propriae ingenuorum erant;
cum urbanae libertinorum essent: ut in Asconio,
& in epitome Liuiana lib. xx. Asconium autem,
ubi illud in Verrem explanat, v. & xxx. tribus,
cur de nominibus Sabinarum plures tribus esse fa-
ctas dixerit, mirari non satis possum; cum a Sa-
binis non tribus, sed curiae nomina acceperit, ut
inquit Liuius lib. I. & Festus.

Ad

SCHOLIA

Ad ex kal. Mart.) liber Sigonij, A. D. Ex
 Kal. Martias, mihi placeret, Ex ante diem kal.
 Mart. idest ex kal. Mart. sic enim loquebantur,
 dixit etiam paullo ante, Vt eum decedere post
 Kal. Mart. placeret: & infra subiungit: Ne ue
 quid prius ex Kal. Mart. Vfus est hoc loquendi
 modo & M. Varro lib. I. de re rustica: Ex a. d.
 VII. id. Feb. ex a. d. VII. id. Mai. idest, ex eo
 die, qui dicitur, ante diem VII. idus. Linius autem
 libro XLV. Supplicatio pro concione populi indi
 cta est ex ante diem v. idus Oct. cum eo die in
 quinque dies. Similiter Cicero epistola XVII. lib.
 III. ad Atticum: Nuncij nobis tristes, nec uarij,
 uenerant ex ante diem non. Iun. quod idem est, ac
 si dixisset, ex nonis Iun. Sic & epist. I. lib. xv.
 Ante diem VIII. idus Nou. quod imperiti li
 brarij cum ignorarent, saepe pro a. d. scripserunt,
 ad. Sex abducere) a iudicijs, ut in senatum ueni
 rent. malim autem, Eos, quam Sex. ut intelliga
 tur non de sex iudicibus. sed plane de omnibus in
 senatum adducendis. praeterea ita loquebantur
 in senatus consultis: itaque infra: Quos eorum ex
 s. c. cum imperio in prouincias pro praetore mit
 ti oportere, eos sortito in prouincias mitti place
 re. Intercedendi, impediendi,) aut, Impediendi,
 di, abundat, additum ab aliquo, qui dictionem,
 Intercedendi, exponeret: aut dic, Intercedendi,
 ad tribunos pl. referri; impediendi autem, ad au
 gures. quos habuisse potestatem impediendi, tum
 aliorum

aliorum exempla declarant, tum Cicero ipse de Legibus. Vibius Pansa) antea, Iulius, mendose: nam Iulij omnes patricij: nec patricij tribuni pl. esse possunt. nos hac ratione adducti, & lapidum ac nummorum auctoritate impulsu, in quibus Pansa Vibiorum cognomen legitur, Vibius, reposuimus. Collegium primum) ferri potest: malim tamen, Proximum: quo modo locutus est infra, post duos uersus.

EX EPISTOLA IX.

CURIONEM prorsus non mediocriter obiurgatus. hac repulsa se mutauit) Obiurgatus, uidetur hic esse uerbum deponens. quod alibi non memini me legisse. itaque libentius ita legerim, Curionem prorsus non mediocriter obiurgat. s. hac repulsa se mutauit. ut una litteras significetur scilicet. nihil tamen mutandum sine ueteribus libris. Soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare) locus ita interpungendus. & est antiqua locutio, qua etiam usus est in epist. xv. lib. ix. Mihi licere, res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere. & alibi saepius. Caesar autem initio lib. iij. de bello Gall. Magnam partem lacte uiuant. & Lucetius lib. iij.

Non minimam partem mortis formidine aluntur.

AGROS, quos fructuarios habent cuitates) Ita legitur in duobus uetustis libris Ioannis Scalae, & in libro Petri Bembi, etiam in uno

S C H O L I A

Caroli Sigonij . itaque nihil muto , cum sit aperta
sententia .

EX EPISTOLA XI.

DECRERANT qui inique transigi uole-
bant) ueteres libri quidam , Deerat , alij , De-
ferant , alij aliter habent . ex tam uaria lectione
adducti sumus , ut , Decrerant , legendum crede-
remus . loci autem sensus hic est . Domitius , &
Scipio , cum de Ciceronis supplicationibus transi-
gi moleste , & inique ferrent , easq. Curionis tri-
buni pl. intercessione impediri cauerent ; simula-
tione beneuolentiae supplicationes Ciceroni de-
creuerunt , ut ea re Curionem , qui omnibus eo-
rum actionibus acriter aduersari solitus erat , ad
intercedendum elicerent . quibus interpellantibus
uenustissime Curio respondit , se eo libentius non
intercedere , quod quosdam , qui decernerent , (si-
gnificabat autem Domitiū , & Scipionem) eo ani-
mo esse intelligeret , ut confici minime uellent .
& , Decrerant , imminutum , dixit , ut , Decres-
set , Cicero in Verrem .

EX EPISTOLA XII.

VIX hoc erat Pola elocutus) In uetusto
libro , qui est Florentiae in Medicea bibliotheca ,
ita legitur , ut i impressis . huius lectionis alij quo-
que meminerunt , sed eam minus integram existi-
marunt , offensi , ut opinor , in uoce , Pola , quod
eam se alibi uidisse non meminerant . est autem id
Seruij accusatoris cognomen , de quo ad Q. fra-
trem

trem epistola XII. secundi libri his uerbis: *Ve-
reor ne homo taeter, & ferus, Pola Seruius ad
accusationem ueniat. Vix igitur, inquit Coelius,
hoc elocutus erat Pola, Appium scilicet, & Do-
mitium summis Circensibus ludis meis lege Scan-
tinia me postulandū curare; cū ego eadē lege Ap-
pium censorem postulauī. hac de lege meminimus
in lib. nostro de legibus. Adde illud, ubi paullo
ante legitur, Palam Seruium, legendum fortas-
se, Polam Seruium. Coepi sacellum, in do-
mo quod est, ab eo petere) Censorum erat cu-
rare, ut sacella non in domo cuiusquam essent, sed
populo paterent. itaque Linius libro XL. ubi lo-
quitur de Lepido & Fulvio censoribus, Complu-
ra, inquit, sacella, publica q. sacra, occupata a pri-
uatis, ut paterent, essent q. populo, curarunt.
Coelius autem, ut ostenderet, Appium censorem
officio suo deesse, petere coepit ab eo, ut sacellum
in domo priuata ne relinqueretur: cuius rei cura
Appij, qui censor erat, esse debuerat. sed liben-
tius, intellexerim de sacello, quod ipse Appius
occupasset: ex quo grauior ei concitata esset inui-
dia, occupatis rebus a censore, quas censor ab a-
lijs occupatas populo restituere deberet.*

EX EPISTOLA XIII.

*STOMACHO est scilicet Pompeius
Magnus) libentius legerem, Stomacho est Ma-
gnus: ut duae illae dictiones, Scilicet Pompeius,
inducantur, tamquam inanes, & superuacaneae,*

non a Coelio, sed ab imperito scriptae; qui cum inter legendum in eam uocem, Magnus, incidisset, existimans eam obscuriorem fore, nisi alijs ipse uerbis illustrasset, supra scripsit, Scilicet Pompeius. postea qui librum exscripserunt, imperiti, ut id genus hominum esse solet, neque, quod adulterinum fuit, agnoscentes, glossema ad uerba Ciceronis admiscuerunt.

E X E P I S T O L X I V .

AD bellum se erumpit:) sic in antiquo libro, & recte. nam Virgilius lib. 1. Georg. Aut obi sub lucem densa inter nubila sese Diuersi erumpunt radij. et lib. 17. ibidem: Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus. & lib. 111. Aeneid.

Interdum q. atram prorumpit ad aethera nubem. Terentius autem in Eun.

Iam ne erumpere licet hoc mihi gaudium?

DE agris modo, de aere alieno) libentius ita lego, quam, ut alij, De agris modo. forte autem id fieri uolebat Appius, quod maiorum memoria uoluerant C. Licinius, & L. Sextius tribuni pl. qui leges promulgarunt, unam de aere alieno, ut, deducto de capite quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio aequis portionibus persolueretur; alteram de modo agrorum, ne quis ultra Diugera agri possideret. epitome Liu. lib. 58.

IN EPIST. FAM.
EX EPISTOLA XV.

QUANTVM ipse catenatus) legit octavius
Pantagathus, Quantum Psecade natus; ut signi-
ficetur Bellienus uerna. psecas enim ancilla est: uer-
nas autem eos esse, qui ancillis nascantur, nemo
nescit. itaque dixit: Si Bellienus, ancilla natus,
Domitium comprehendere, & Strangulare non
dubitauit: quid Caesari, Venere prognato, in
uestro Domitio faciundum fuit? Haec amicissimi
hominis lectio, non dubito, quin a doctis pro-
betur: cum & sensum habeat optimum, & a ue-
tusto libro parum, ac paene nihil discrepet. De
psecade meminerunt Iuuenalis sat. VI. & Oui-
dius Metam. lib. III. Cum haec iam scripsissem,
liber est allatus ad me per antiquus, in quo scriptum
erat, Ipse cadenatus. posteaq. eodem modo in libro
Petri Bembi scriptum animaduerti; itemq. in
alio, quem Cypro aduectum chirurgus mihi qui-
dam commodauit; et duobus Caroli Sigonij, item
alio, qui est apud me. itaque cum hanc lectio-
nem & antitheorum gratia commendet; (nam
Coelius Coeliano illo suo more, hoc est, per argu-
te, Psecade natus, & Venere prognatus, op-
posuit) & ueterum librorum confirmet auctori-
tas; & non est, quod quisquam, nisi si quis ob-
trectandi studium nimis amet, de illius integra-
te dubitare amplius debeat. qua in sententia eo
magis confirmor, quod eam summo consensu eo-
rum omnium, qui de litteris optime iudicant, qui-
busq.



S C H O L I A

busq. ego plurimum tribuo, comprobari animadu-
 uerto. Vtinamq. Pantagatho meo tantum esset
 a grauioribus studijs otij, ut similia multa excogi-
 tare, aut ea potius, quae iam pridem in hoc gene-
 re innumerabilia excogitauit, commodo suo col-
 ligere, & cum studiosis communicare posset. spe-
 rarem fore, ut, ueterum scriptis magna ex parte
 integritati suae restitutis, multorum, qui nunc
 sese inani labore torquentes, nihil omnino, nisi
 quod ipsi pepererint, appobare animum inducunt,
 superuacanea opera uideretur.

EX EPISTOLA VLTIMA.

RELIQVA exspecta) ualde hic & ab impres-
 sis, et inter se dissentiunt ueteres libri. unus, qui
 est apud me, habet, Reliqua exspectant: alter Ca-
 roli Sigonij, Reliquas exspectant: tertius eiusde,
 Reliqui exspectant. Quod autem sequitur, Vos in-
 uitos, meus liber habet, Nos inuitos: liber Si-
 gonij, Nos inuidtos. Praeterea, ubi legitur, Irri-
 tui in me Catonem, meus liber, & Sigoniani ha-
 bent, Arruntanum me Catonem: unus pro, me,
 habet, M. Obscura plane sententia. quid enim e
 deprauatis uerbis eliciatur? alij igitur aliquid
 excogitent.

EX EPISTOLA V. LIB. IX.

CONSILII nostri, ne si eos quidem, qui
 id secuti non sunt, non paeniteret, nobis
 p. p.) netusti libri sic habent omnes: tantum in
 eo differunt, quod, ubi nos, nesi, scripsimus,
 habent,

IN EPIST. FAM.

habent, nisi. quam uocem non temere immutauimus. qui enim aliter fuisset absurdissimus, is nunc, ut mihi quidem uidetur, aptissimus est sensus: quem pluribus uerbis ostendemus: ut, si quis eum probabit, (probabit autem, nisi fallor, quicumque recte iudicat) acceptam referat huius loci emendationem diligentiae, & iudicio Hieronymi Ferrarij. Consilij, inquit, nostri, quod & Pompeium in bellu secuti sumus, & eo in Pharsalia superato, uictori nos crediderimus, ne tum quidem nobis paenitendum putarem, si eos, qui minus id secuti sunt, non paeniteret. significat enim, qui secus fecerint, eos iam paenituisse. quos si non paeniteret, ego tamen, inquit, nobis paenitendum non putarem.

EX EPISTOLA X.

UT ne in foro quidem) moneo lectorem, non inuentam a me dictionem, quidem, in ueteribus libris. nec tamen necessaria uidetur.

EX EPISTOLA XV.

INTELEXI pergratam tibi esse curam meam ualetudinis tuae) hunc locum ex antiquis libris restituumus, cum antea mendose legeretur.

EX EPISTOLA XVI.

TU autē quod mihi bonam copiam eiu- res, nihil est) Hieronymus Ferrarius legendum arbitratur, bonam copiam iures, hoc sensu: non est, quod te mihi semper praesto fore, tuiq. bo-

TT 4 nam

nam copiam facturum esse iures . ut respexerit ad id, quod *M. Varro* scribit lib. v. 1. de lingua latina: Debitores non nulli pro pecunia, quam debebant, operas in seruitutem dabant, dum soluerent. id *Sylla* dictator sustulit; uoluitque, ut ij bonam copiam iurareut, idest, ut, sui facultatem creditoribus semper esse facturos, iureiurando promitterent. *Ferrarius* sic accipiebat. Ego autem puto hic dictum esse, Quod mihi bonam copiam eiures, pro, quod iures mihi, te non habere unde sumptum facias. tantumq. abest, ut ex *Varrone* *Ciceronis* locum emendem, ut potius ex *Cicerone* *Varronis* locum putem esse corrigendum: ut legatur, Voluitque, ut ij bonam copiam eiurarent: idest, ut iurarent, se non habere unde creditoribus satisfacerent. hoc multis argumentis probare non conabor. recitabo locum *Sex. Pompeij*, qui nostram sententiam ita confirmat, ut dubitatio prorsus nulla relinquatur. Eiuratio, inquit, significat, id, quod desideretur, non posse praestari, iureiurando recusare. idq. satis tum ea, quae attulimus, tum alia quoque exempla declarant. Aestimationem te aliquam putes accipere). Alulit ad aestimationem possessionum, quam *Caesar* per arbitros debitorum causa fieri uoluerat, ut ij creditoribus facilius satisfacerent. qua de re initio libri III. de bellis ciuilibus, his uerbis. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur, constituit, ut arbitri darentur;

por

per eos fierent aestimationes possessionum, & rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent; atque eae creditoribus traderentur. hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendum ue, qui fere bella, & ciuiles dissensiones sequi consuevit, & ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimauit. Suetonius etiam in Caesare, De pecunijs, inquit, mutuis, disiecta nouarum tabularum expectatione, quae crebro mouebatur, decreuit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanti quasque ante ciuile bellum comparassent, deducta summa aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum, aut perscriptum fuisset. qua condicione quarta pars fere debiti deperibat. Cum igitur Papius ex eo Caesaris decreto magnam a debitoribus plagam accepisset, aestimatis eorum possessionibus, non quanti uenire tunc possent, sed quanti ante ciuile bellum fuissent; iocans, ut solet, Cicero, Ne credas, inquit, cum me hospito recipias, aestimationem te aliquam accepturum. & dixit, Aestimationem aliquam, tamquam si, magnum aliquod damnum, dixisset. Papius enim aestimationes, idest predia, per arbitros inique aestimata, a debitoribus accipiens, crediti iacturam non minimam fecerat. deinde sequitur, Etiam haec leuior est plaga ab amico, quam a debitore: hoc est: & tamen, quod ab amico bona tua comedantur, non id tibi aeque graue esse debet,

SCHOLIA

debet, atque illud est, quod debitorum causa de-
perdis: a quibus possessiones, quanti uendere num-
quam poteris, accipiendae tibi sunt.

EX EPISTOLA XVII.

VIR fortis, idemq. philosophus,) sic in
meo uetere libro, & duobus Sigonianis. est autem
peruenusta sententia: cum & uiri fortes, ex ani-
mi quadam praestantia, & philosophi, ex doctri-
na, patriam, honestatem, libertatem uitae ante-
ponant; ego tamen, qui utrumque profiteor, &
uirum fortem, & philosophum, uiuere pulcher-
rimum duxi. Idem locutus est epist. 11. huius
libri: Catinus idem tuus, & idem noster. Et lib.
11. de Diuin. M. Marcellus, idem imperator,
idem augur optimus. Cum igitur & ueteres li-
bros, & sententiam ipsam, & consuetudinem
latine loquendi sequar, dissentire cogor ab ijs, qui
non, Idemque, sed, Idem quod, imprimi uolue-
runt. numquam enim, quod quidem per me lice-
at, studiosum lectorem fraudari ueritate patiar.
Non modo me) libri omnes uetusti hanc lecti-
onem habent; quam, ut incorruptam, secuti, su-
mus. qui autem ea sunt offensi, ex ingenio parti-
culam, non, interiecerunt. uide quae diximus in
illum locum epistolae 19. libri 1. Non modo prae-
mij, sed ne periculis quidem.

EX EPISTOLA XVIII.

AESTIMATIONES tuas uendere non po-
tes) hunc locum qui recte interpretaretur, nemi-
nem

nem uideo fuisse . significat autem possessiones per aestimationem a debitoribus acceptas; & , quem admodum supra , posuit aestimationes pro rebus aestimatis .

E X E P I S T O L A X I X .

N E C tamen ad hanc insolentiam) Alij mendum esse in uoce, insolentiam, existimarunt. ego insolentiam pro nimijs sumptibus, qui fiebant in cenas, accipio: a quibus se alienum esse dicit, lautitiam tantum quaerere . quod etiam supra, epistola huius libri x v. his uerbis ostendit: Nec tamen eas cenas quaero, ut magnae reliquiae fiant . quod erit, magnificum sit, & lautum . Insolentiam eodem sensu posuit Philipp. I x. Magnifice enim, inquit, Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat, huius saeculi insolentiam uituperabat . & in oratione pro Sex. Roscio: Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Cum in sumptum habebas) uetustiorum librorum haec est lectio: quam alij quoque receperunt, licet eam, ut ipsi dixerunt, mendosam suspicati . mihi ea uel maxime probatur, ut desiderari nihil credam . dixit autem, cum in sumptum habebas, pro eo quod dicimus; cum ad sumptum copiae suppetebant; cum pro sumptu facultates erant; cum erat tibi, quod esset in sumptum satis . sic enim hoc loco, in sumptum, id est, pro sumptu, dixit, quemadmodum etiam ad Atticum epistola v. lib. I I x. Tironem Curio commendes ,

S C H O L I A

des, ut ei, si quid opus erit, in sumptum eroget. epistola etiam, quae sequitur, eodem libro, Sed eum, inquit, uideo, in sumptum ab alijs mutuatum. & ad eundem lib. xv. Velim cures, ut permittetur Athenas, quod sit in annum sumptum. Imitamur igitur lautitiam tuam, inquit, illam ueterem, cum habebas in sumptum: es nunc quidem plura praedia tibi sunt: quae scilicet a debitoribus pro pecunia, quam credideras, inuitus accepisti, aestimata ex edicto Caesaris, quanti quaeque ante civile bellū fuissent. Haec enim quasi per iocum dicta sunt; ut irrideatur Paetus, qui non habeat in sumptum, ut antea; cum ei possessiones multo, quam antea, plures sint.

E X E P I S T O L A X X.

ILLUD a Trabea,) cum Papirius ostendere uellet Ciceroni, se frustra ipsius orationes imitari, Trabeae poetae uerbis id ostenderat. quod reijcit Cicero, ac potius sibi illud ipsum a Trabea opus esse affirmat. nam cum Papirius non solum consequatur, sed etiam uincat; suum esse, frustra conari, affirmat. ἀπότ' ἄγχα igitur meum: subaudi, est. tu enim omnia, quae uis, consequeris. quod ego non possum: itaque ἀπότ' ἄγχα meū est, non tuum. CCCXII.) discrapat a Lilio: qui consules fuisse Pipirium & Sempronium tradit anno CCCIX. quod si quis annorum numerum ad censuram, non ad consulatum, referat: ne sic quidem inter eos conueniet: cum, anno post consula-

tum

IN EPIST. FAM.

tum proximo censors fuisse, idem Liuius narret.

EX EPISTOLA XXII.

PER uim uiolat) Antiqui, uiolauit uirginem, pro, uitiauit: &, cum muliere fuit, pro, concubuit, modeste dicebant. M. Varro lib. v. de lingua Latina. sunt autem haec ueteris poetae uerba. Peniculus) in omnibus fere antiquis libris ita legitur: cuncti tamen impressi, penicillus, habent: quam lectionem ab ijs repositam existimo, qui, quid peniculus significaret, non intellexerunt: quae quidem uox a Sex. Pompeio libro XIV. bis explanatur. Peniculi, inquit, spongiae longae propter similitudinem caudarum appellatae. penes enim uocabantur caudae. & infra: Penem caudā uocabant. hinc peniculos diximus, quibus calceamenta terguntur. Ex quo uel maxime uetusti libri lectio comprobatur. eundem enim sensum Sex. Pompeius iisdem uerbis, quibus Cicero, complexus est. Plantus quoque in Menaechmis, actu I. Iuuentus, inquit sub persona parasiti, nomen fecit Peniculo mihi, Ideo quia mensam, quando edo, detergeo. Ut eius uocis significatio obscura iam esse non possit. hunc autē locum ingeniosissimo iuueni, Hieronymo Ferrario debemus.

EX EPISTOLA XXV.

NUNC ades ad imperandum, uel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur.) Difficilis locus: qui me diu ualde torsit.
interpretes

interpretes enim omnes, alij eum, ut scopulum euitarunt, alij, dum uideri uolunt intelligere quod minime omnium intelligunt, ineptiarum nescio quid attulerunt, quod rideri magis, quam refelli loquendi modum debeat. comperi igitur, esse ueterem, & antiquis usitatum: licet eius non multa habeamus exempla. quibus enim in scriptis ueteres illi dicendi modi frequentius potuissent deprehendi, ea fere omnia deperierunt: itaque ex unius Sallustij uerbis locus hic ad Paetum explanatur. facile enim colligitur antiquos, ad imperandum, passim dicere solitos. ut etiam Cicero ipse explanat. sed ponamus Sallustij uerba. Iugurtha, inquit, ubi armis, uirisque, & pecunia spoliatus est, cum ipse ad imperandum Tisdrum uocaretur, rursus coepit flectere animum suum, & ex mala conscientia digna timere. ad imperandum, dixit, id est ad parendum, & ad imperata facienda: quae admodum Cicero, Ades ad imperandum, pro ades, ut ego tibi imperem. hunc loquendi modum & Seruius agnouit in illo Bucolicorum uersu apud Virgilium: Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Cantando, inquit, dum, incantatur.

EX EPISTOLA VLTIMA.

HARVM exemplum) cum Cicero apud Volturnum Eutrapelum cenaret, hanc epistolam ad Papirium in codicillis conscripserat, eo consilio, ut, cum domum redisset, eam in charta exscriberet, & ad Papirium mitteret. propterea, Harum

rum

rum exemplum, dixit. non enim in animo habebat, eas ipsas mittere, quas scribebat, quas uocat exemplum, sed eas, quas inde exscribere cogitabat. Et si minimum mihi est in cena) postea quam in litteris satis uersatus sum, etsi cenam in minimis pono; tamen, cum aliud, quod agam, non habeam, ad cenas me confero. Iocatur autem in his uerbis, Minimum mihi est in cena, referens uerba Papirij: qui cum Dioni philosopho posuisset illud ἕντιμα, esset ne aliquid minimum; negassetq. Dio; (negant enim philosophi, quidquam esse in magnitudine minimum; cum tantum parua magnitudo nulla sit, quae non diuidi queat) iocans Papirius adiecit, Mihi uero minimum est in cena; cum cenam sibi tenuiter admodum paratam esse indicaret. Et gemitum etiam in risus maximos transfero) hunc locum alij ita, ut nos, iam ante emendarunt, ut sensum plane alium efficerent. nos Ciceronem credimus hoc dicere. in conuiuio cum patriam satis luxi, a maestitia & gemitu uel maximam ad hilaritatem, maximosq. risus me conuerto. Ille Baro) Baro mulier fuit philosophiae dedita, ut scribit Suidas. ex eo philosophos, qui stolidiores essent, non philosophos, quod eo nomine uiderentur indigni, sed Barones uocabant, ut quasi mulierculae per contemptum appellarentur.

S C H O L I A

EX EPISTOLA I. LIB. X.

DE medio cursu) ex uetere libro ita emendauimus . sic autem locutus est in fine lib. III. de officijs , eadem de re loquens . Si ipse , inquit , uenissem Athenas : quod quidem esset factum , nisi me de medio cursu clara uoce patria reuocasset . item ad M. Brutum epistola , cuius initium est , Messallam habes : In medio Achaico cursu , cum Etesiarum diebus auster me in Italiam retulisset .

EX EPISTOLA VIII.

VICTORIAM pareremus) haec lectio cum neque sensu careat , & in uetere libro Vincentij Riccij sint , itemq. in eo , quem V baldinus Bandinellus habet : (ut omittam alios) non uideo . cur quidquam immutetur . in alijs antiquis libris tum , pareremus , tum , pateremur , tū partiremur .

EX EPISTOLA XII.

TVA dignitas affert) antea legebatur , afferat . nos , affert , ex uetusto libro , quem habet Ioannes Scala . est autem sensus . ita mihi detur te uictoriam complecti rep. recuperata , ut mihi magnam laetitiae partem tua dignitas affert . uerbum , complectar , qui crediderunt esse indicatiui modi ; uocem , affert , ut ipsi putabant , emendarunt ; ut ego existimo , deprauarunt . Breuia , fugacia , caduca existima) in uoce , fugacia , uetusti libri dissentiunt . alij fugacia ; alij , fugatocia ; alij fugato , habent . ego , etsi uulgata lectio sensu non careret , tamen libentius legerem , fucata ; ut
translatio

translatio sit a mulieribus, quarum saepe nitor non naturalis, sed fucatus est, ideoq. breuis, & caducus. haec, inquit, fucata existima, quoniam uerum splendorem non habent, sed collecta sunt inaniissimis splendoris insigibus.

EX EPISTOLA XVII.

OBSIDE fide) sic in omnibus uetustis exemplaribus. & dixit, fide, pro fidei, generadi casu, quemadmodum etiam Sallustius in Iugurtha, Decima parte die reliqua, pro diei, quod Gellius notauit: qui etiam C. Caesarem, huius die, & huius specie, dicendum putasse tradit. De tribus fratribus Segauiano probauit) ita legitur in plerisque antiquis libris. fortasse melius, S. Gauiano: ut significetur Sex. Atilius Gauianus, de quo in oratione pro Sextio. sensus erit: In ea re (ut scilicet Lepidus Apellam ad me mitteret) studium mihi suum Gellius probauit; de tribus autem fratribus, (quippiam significat nobis minus notum, cuiusmodi in epistolis ad Atticum scriptis multa sunt) Sex. Gauiano. postea in V baldini libro animaduerti scriptum esse, Gauiano, pro Segauiano. in meo autem sic: Studium mihi suum de tribus fratribus se Gauianus probauit.

EX EPISTOLA XIX.

GRAVISSIMAE, & maxime fortissimi animi, summiq. consilii) sic habent omnes impressi libri. nos in nostro ita legi, & interpungi

ZZ uoluimus:

uoluimus: grauissimae, et maximae, fortissimi animi, summiq. consilij: ut animi maximae res sint, consilij grauissimae. Leuia sunt haec: eo igitur uidetur esse turpius, non animaduerti.

EX EPISTOLA XX.

ERRARE) Potuisti errare, decipi non potuisti. error enim facile in mentem irrepit, neque id cuiquam licet effugere. quoniam autem qui discipiuntur, ostendunt se minus ualere prudentia, quam satis sit: iccirco tu, qui prudentissimus es, decipi non potuisti. & est turpius decipi, quam errare. nam erramus ipsi, opinione lapsi; decipimur ab alio, prudentia uicti. sed quoniam, inquit Cicero, credulitas te in errorem induxit, cum sperares, Lepido te esse bono usurum, qui deinde tuam spem sefellit, eadem credulitas non iam te amplius in eundem errorem inducet: nam re expertus es, Lepidum esse infidum, neque eum recte facturum. ergo etiam erroris causa sublata iam est; ut iam non modo decipi, sed ne errare quidem possis nisi si in eadem re iterum errare, hoc est, iterum Lepido uelles credere, homini fallacissimo, & a reip. partibus alieno. quod si committeres; magnam infamiam subires, quod quasi ad eundem lapidem, ut dicitur, offendisses. quam culpam scis uulgari prouerbio esse reprehensam. Feruentibus) sic in antiquo Sigonij libro: in alijs, Feruentibus. utrumque recte: itaque nihil muto. Fuiere, de irato homine, non semel usurpat Cicero:

IN EPIST. FAM.

cero: *feruere*, μεταφορικῶς *idem ualet*. Extru-
sum.) ita malui, quam, Detrusum: quo minus
a ueterum librorum testimonio discederem, qui-
bus in omnibus, quos quidem adhuc inspexerim,
scriptum esse uideo, Et rursus.

EX EPISTOLA XXX.

AMPLIUS passus quingentos) passuum
numerum, quem alij scriptis in libris se non uidis-
se dixerunt, comperimus in libro per antiquo Vin-
centij Riccij.

EX EPISTOLA XXXI.

QUANTAS habuerim contentiones) An-
tea, conciones: nos, contentiones, reposuimus
ex uetusto libro Pauli Boti, & ex epistola sequen-
ti, in qua idem Pollio ita scribit: Nec uero minus
Lepidus urisit me & suis, & Antonij litteris, ut
legionem trigessimam mitterem sibi.

EX EPISTOLA XXXII.

DUXIT se a Gadibus) locutio quibusdam
uidetur durior: qua tamen & Terentius in Hecy-
ra usus est: Vxor, inquit, ubi me ad filiam ire
sensit, se duxit foras. & Plautus in Aulularia,
cum dixit: Ego me deorsum duco de arbore. & in
Bacch. Duc te ab aedibus. Sex. Varro procon-
sule) Historia mihi quidem ignota: &, ut di-
cam, quod sentio, mendum subesse crediderim.
nam etiam librum habeo uetustissimum, in quo
haec uerba non leguntur. Cuius Romanus na-
tus sum) cū mihi Hieronymus Ferrarius hunc

locum se mendosum suspicari dixisset, & ut uete-
res libros inspiceremus, rogasset; collatis cum
impressa lectione scriptis libris, dictionem, natus,
ita ut ipse existimauerat, abundare comperimus.
quo factum est, ut eam in nostro inducere ne dubi-
tarem. hanc autem coniecturam ea ratione Fer-
rarius faciebat, quod Ciceronem v. in Verrem li-
bro ita locutum esse meminisset. *Ceruices, inquit,
in carcere frangebantur indignissime ciuium Ro-
manorum: ut etiam illa uox, & illa imploratio,
Ciuis Romanus sum, quae saepe multis in ultimis
terris opem inter barbaros, & salutem tulit, ea
mortem illis acerbiolem, & supplicium matu-
rius ferret. Et infra eodem libro: Nulla uox audie-
batur, nisi haec, Ciuis Romanus sum. Et item
paullo post saepissime: ut sibi quisque legendo fa-
cile reperiet.*

E X E P I S T O L A XXXIII.

NON maior tamen, quam Planco, fuit)
Hoc dicit. sane mecum iniquissime agatur, si pro-
pter amicitiam, quae mihi cum Antonio fuit, di-
rius quidquam homines de me suspicentur; cum
eundem Antonium non minus, quam ego, dile-
xerit Plancus; cui tamen exercitum credidistis,
ut cum Antonio, reliquisq. bonarum partium
inimicis bellum gerat. P. Vagiensi.) hanc lectio-
nem in extremo libro olim adnotaueram, e conie-
ctura tantum. uetustis libris nihil adiuuantibus:
postea in antiquo exemplari, quod Bernardinus
Massens

Maffeus habet, eam reperi.

EX EPISTOLA XXXIV.

In ciuibus conseruandis) potius ita lego,
quam, obseruandis. nostram lectionem habet
liber uetusus Bernardini Maffei, & antiquis-
simus alter, qui est apud Vbaldinum Bandinel-
lum. III. Kal. a Ponte Argenteo) uitiosi sunt
hoc loco scripti libri sed boni tamen aliquid ha-
bent singuli. in tribus uetustissimis legitur, IV.
Kal. a Ponte Argenteo: in eo, de quo mihi Vin-
centius Riccius commodauit, qui & ipse per anti-
quus est, III. Kal. Iunij. itaque in nostro libro,
IV. Kal. Iunij, scribere non dubitauit: ut sit dies,
quo se cum Antonio coniunxit. libro enim X.
epistola, cuius initium est, Numquam mehercule,
ita scribit Plancus. Lepidus, desperato aduentu
meo, se cum Antonio coniunxit ad IV. Kal. Iun.
hanc autem epistolam post eam, quae sequitur,
scriptam esse, nemo non uidet. XXX) lineam,
quam super numerum duximus, olim ab aliquo
fuisse omissam credimus, qui, ea quanti esset, igno-
raret. nam in libro Vincentij Ricci scriptum est,
XXX. quo modo autem nos scripsimus, triginta
millia significatur. Studia officii) non nihil of-
fendor. non enim satis usitate diditum. suspicor in-
terdum abundare, officij: & suspicionem nostram
confirmat antiquus Sigonij liber. Memini au-
tem) Sic, opinor, melius, quam, ut antea, me-
mini enim. quo enim spectabat uox illa enim? mi

hi certe cum superioribus cohaerere posse nō uidentur. itaque, ea deleta, reposui. Antem, motus auctoritate uetustissimi libri, quem habet Vincentius Riccius, in quo, autem, pro enim, scriptum est. quamquam praecedens dictio mendum habet. non enim, memini, sed, maxime, in eo libro legitur. sed nullus est tam antiquus liber, qui non multis locis corruptus tamen sit. itaque uno, aut etiam altero scripto libro qui se putant ueteres scriptores posse restituere, meo iudicio falluntur. plurimis opus est. qui licet inquinati sint: tamen ex singulis boni aliquid excerpentes, usu saepe uenire uidemus, ut ex multis libris, qui mali sint, bonus tamen liber efficiatur unus.

EX EPISTOLA X. LIB. XI.

MALLE me tuum iudicium) referuntur haec ad id, quod dixit, exploratum habes. totum autem hunc locum ex libro Pauli Boti, & Vincentij Riccij emendauimus.

EX EPISTOLA XXIII.

LEPIDVS commode de nobis sentire uidentur) De nobis, dixit, idest, de rep. ut lib. x. ep. 18. Magnum periculum ea pars exercitus adiret, quae bene de rep. sentit. Nec aliter in antiquis libris uideo scriptum esse. Ideo, cum, adolescens legendum existimassem, Commode nobis, tamen: dissentientibus antiquis libris, nihil sum ausus immutare, opinionem meam in uarijs lectionibus testatum esse uolui. nunc uideo nonnul-

los in suo libro imprimi uoluisse, Cōmode nobis.

EX EPISTOLA XXVII.

QVID defuit nostrae familiaritati in maximis rebus? quonam modo me gererem aduersus Caesarem, usus tuo consilio sum) distinguo sic, quid defuit nostrae familiaritati? in maximis rebus quonam modo me gererem aduersus Caesarem, usus tuo consilio sum. Haec etsi leuia uidentur, quia tamen quiddam afferunt ad sententiam, non contempsimus. quae non esse adhuc animaduersa, miramur.

EX EPISTOLA I. LIB. XII.

ITA compressum est) antea, compressa est, in libris omnibus impressis. nos, compressum, ut est in libro Vincentij Riccij, rectius, quam compressse, legi putauimus: ut referatur ad uerbum, manabat. anthitheta enim sunt, comprimere, & manare: quibus etiam usus est libro ad Atticum III. ep. 12. Orationem illam ita compresseram, ut numquam emanaturam putarem.

EX EPISTOLA XIIII.

NON subita, nec incōuenientia) ita legitur in libris antiquis Bernardini Maffei, Ioannis Sca lae, Pauli Boti, V baldini Bandinelli, Petri Bem bi, in duobus Caroli Sigonij, & in meo satis antiquo unus Vincentij Riccij habet, disconuenientia. qua uoce Horatius quoque usus est epistola I. libri I. Aestuatur, & uitae disconuenit ordine toto. itaque si quis, inconuenientia, non probat; discon-

uenientia, poterit legere. alterutrum certe sententia requirit. alijs aliter uidetur. docti iudicabunt. Cui Lucilius praeerat) Appianus hunc appellat L. Figulum. quod cum ita sit; & cum Figulos non e Lucilia gente, sed potius e Nigidia fuisse compererim: libentius legerim, Lucius, quam Lucilius. nam etiam in uetusto libro Bernardini Maffei, non Lucilius, sed, Lucius, legitur. Castra habet posita Παλτοῖ) E uetere libro Pauli Boti sic emendauimus, figura graeca in aduerbijs in loco, ut, κορύδαλλος κορυδαλλοῖ, προβάλλινδος προβαλινδοῖ, φάληρον φάληροῖ, φρεάρρον φρεάρροῖ.

Acromaniacride) Vetusli libri alij aliter habent. sunt, qui legendum credat, a Comyu Acride. alij, Acamantide; quod in antiquo libro scriptum dicant, Acomantide. utraque lectio defendi potest. de promontorio Acamantide Plinius, & Strabo.

EX EPISTOLA XIV.

QVAM reuera furere eos inueni. quod uero aliquid de his scripsi,) Totum hoc non erat in impressis: ego addidi multis abhinc annis ex uetusto libro Vincentij Riccij. nunc itidem uideo scriptum esse in Sigonij libro.

EX EPISTOLA XVII.

IN ista solitudine) Solitudine potius, quam sollicitudine, e tribus antiquis libris, & e sensu legendam putavi. dixit enim, solitudine, pro sum

mo otio: quod apertius sequenti epistola. Etsi, inquit, periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quod & in summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs discedere.

EX EPISTOLA XXII.

COLLEGA nostro) uetusti libri non nulli habent, uestro: quos alij secuti sunt: qui quidem, non uideo, qua ratione ducti id fecerint. sed, cum in libris item antiquis, collega nostro, legatur; (habet autem unum ex antiquis exemplaribus, in quibus ita scriptum sit, Petrus Bembus, habet & Bernardinus Maffeus) Antonium autem Ciceroni in auguratu collegam fuisse, notissimum sit: priorem lectionem conseruauit: quam eo minus arbitror immutandam, quod & ad Atticum scribens, epistola xlv. libri x. collegam suam appellat Antonium. inquit enim: Misit puerum, sed ad me uenire: hoc quidem melius, quam collega noster Antonius, cuius inter lectores lectica mimia portatur, & Philippica II. Sume diem: uide, qui te inauguret: collegae sumus. Cum haec superiora multis iam annis scripsissem, uisum est ad duos, quos nominauit, Bembi, & Maffei libros, trium praeterea librorum testimonium adscribere: quorum duo sunt apud Sigonium, tertius apud me: & in omnibus uideo scriptum esse, nostro.

QVAM turbo deiecerat) uide Dionem libro XX XIX. item libro XLV. & Iulium Obsequentem in libro de prodigijs. Graecū tēpus seruitutis) Suspicio in uoce, graecū, inesse mendū. neque tamen excogitare quidquam potui, quod pro ea reponendum uideretur. in antiquo libro Vincetij Riccij scriptum est, Cecum: in meo, Gratum. potuit esse graeca dictio, ubi, Graecum, est impressum: quam librarius cum non intelligeret, in libri margine adscripsit, Graecum; deinde alij, quasi a Cicerone scriptum, receperunt.

EX EPISTOLA II. LIB. XIII.

CONIECI) in omnibus antiquis libris, Confeci. nos, una littera immutata, Conieci. Subitum est ei remigrare kal. Quinct.) Kalendae, inquit, Quinctiles, quo die domo tua, in quam uenerat, exeundum est, nimis subitae sunt, & propius adsunt, quam ut ipse possit, operibus, quae instituit, perfectis, suo commodo discedere. Sciendum autem est, annuas domorum locationes Kalendis Quinct. apud ueteres fieri solitas, itaque epistola III. lib. II. ad Q. fratrem, Domus, inquit, tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est: sed, ut spero, paucis mensibus post kal. Quinct. in tuam commigrabis. Post Kal. Quinct. dixit, idest finito locationis tempore, demigrantibus ijs, quibus eam locaueras. Suetonius autem in Tiberio, Senatori, inquit, latum clauum admit, quem

I N E P I S T. P A M.

quem cognouisset sub Kal. Iulij demigrasse in hortos, quo uilius post eam diem in urbe conduceret. Quod igitur Euandro, quem Statuarium fuisse conijcimus, subitum erat, idest, propter breuitatem temporis incommodum, nimisq. repentinum remigrare Kal. Quinct. ad qua diem opera, quae multa multis instituisset, absolui non posse intelligebat; quae moueri loco, & alio transferri, cum perfecta non essent, commode non poterant: petit a Memmio Tullius, ut ei de habitatione accommodet, ne cogatur Kal. Quinct. ut moris erat, remigrare; quod sine damno facere non posse uidebatur.

EX EPISTOLA IIX.

C V I V S ex filia) Antea, Cuius ex familia, in omnibus impressis legebatur. nos aliquot abhinc annis, Filia, correximus, ex oratione pro P. Sextio, in qua C. Albini filia P. Sextio nupsisse dicitur.

EX EPISTOLA IX.

R V P I L I V S P. F. Men.) mallem, Rupilius P. F. An. ut Aniensis tribus significetur. nam Vincentij Riccij liber antiquus habet, Rupilius P. Fannius. cuius uitij fuit haec origo, quod, cum scriptum esset, P. F. An. imperiti, ueteres notas non intelligentes, scripserunt, P. Fannius. quod si retinetur, Men. de Menenia tribu erit intelligendum; de qua diximus in scholijs lib.

L I X.

B X

EX EPISTOLA X.

CORROBORAVIT) interpretes, uerbum antiquū non agnoscentes, alij aliter exposuerunt. dixit autem, Corroborauit, pro egressus est annos pubertatis, & uir esse coepit, quemadmodum in oratione pro M. Coelio. Cum is iam se corroborauisset, ac uir inter uiros esset. & in eadem, Non modo haec aetas, sed etiam iam corroborata. idest, non modo adolescentes, sed etiam uiri. & supra, eiusdem orationis initio, eos, qui non, ut Coelij accusator, adolescentes essent, sed uiri, robustiores appellauit. alibi etiam in hanc sententiam eodem uerbo usus est.

EX EPISTOLA XII.

SED ut hanc addam) Alij aliter: nos sic emendauimus ex uetusto libro Bernardini Maffei.

EX EPISTOLA XV.

PERVSTVM, etiamnum) Cum antea legeretur, Perustum, & inanem, nos ex uetustis libris, & a sensu olim emendauimus, Perustum etiamnum. sed quoniam Vincentij Riccij liber habet, Perustum immani; alij autem, Perustum inanem: non absurde etiam legi posset, Perustum, inani gloria uolunt incendere.

EX EPISTOLA XVII.

QUAMMAXIMVS postea commendatione c. a.) Etsi uetusti omnes libri ita scriptum habent: ego tamen legendum crediderim, Quamaximus potest, mea commendatione c. a. idque ante

te

I N E P I S T . F A M .

te uiginti annos ita sensi, & cum liber ederetur, scholio meo testatus sum. nec nunc, annos natus LI. aliter sentio. Alij legendum putant, Quammaximus nostra c. c. a. Alij, nihil omnino mutandum. Suum cuique placet.

E X E P I S T O L A X X I .

IN omni genere officii diligendus) Quid, si legatur, In omni genere officij diligentiss. idest, diligentissimus? qua ratione etiam dixit in oratione pro Plancio, In omni officio diligentissimus: & pro M. Coelio, Viro omnis officij diligentissimo. & pro Cluentio, In omnibus officijs retinendis diligentior esse nemo potest. Sed haec eruditorum iudicio permittimus: incerta enim in re affirmare quidquam, & immutare, tum temerarium est, tum periculosum. E V M Hammonium) Hammonium, ut puto, glossema est.

E X E P I S T O L A X X X V I I .

P V B L I C E possidentur) Legem apud Calatinos fuisse crediderim, quae caueret, ne quidquam publice, nisi publico nomine, possideretur. Hippiae autem bona alieno nomine, puta cuiuspiam absentis, uel pupilli, publice possidebantur.

E X E P I S T O L A X L I I .

B Y L L I O N E S) impressi libri, Belliones, habebant; scripti, Bulliones. itaque nihil dubitandum putauimus, quin esset uera lectio, Bylliones. uenim litterarum pro y scribebant antiqui: & ita in ueteribus monumentis persaepe legitur, ut Sul

la

SCHOLIA

la pro Sylla, murrha pro myrrha, & alia huiusmodi. Bylliones populi sunt supra Epidamnium, quorū meminit Strabo lib. VII. dicti a Byllide, quae est ciuitas in Illyrico, de qua Stephanus de urbibus.

EX EPISTOLA I.

MULTA in illum mea; quodq. maximū est,) Hanc lectionem puriorem, & elegantiorē existimamus, quam quae antea in omnibus impressis habebatur. eam accepimus ex uetere libro Vincentij Riccij.

EX EPISTOLA LII.

CICERO Regi.) opinor hunc Regem aliquem fuisse gentis Marciae. cuius cognomen fuit Rex: itaque etiam Clodij sororis uir, Q. Marcius Rex appellatus est, auctore Plutarcho in Ciceronis uita. ad Atticum etiam, lib. I. ep. XIV. cum dicit, Ille autem Regis hereditatē spe deuorarat: eum, quem diximus, Q. Marcium Regem intelligit.

EX EPISTOLA IV. LIB. XIV.

PRETEREA magnopere nemo ceterorum seruorum. ea causa est, &c.) sic antea in libris impressis. ego distinctione tantum locum restituo, ut ita legatur. Praeterea magnopere nemo. ceterorum seruorum ea causa est, ut, si res &c. Quoniam autem non ita apertus uidetur sensus, pluribus uerbis exponemus. Cicero ueritus amissionem seruorum cum tota re, manumisit eos
hac

I N E P I S T . F A M .

hac condicione, ut, si per legem Clodiam bonis omnibus priuandus esset, ij suo beneficio liberti essent, si modo id per Clodium licuisset; sin autem lex seruos non adimeret, & ut ad ueterem dominum pertinerent, concederet; seruirent, ut antea, praeterquam pauci, quos bene meritos omnino liberatos uellet. Dixit autem, Ceterorum seruorum, intelligens suos. nam ex Terentiae seruis neminem manumiserat: tantum ijs, eam facturam esse, ut quisque esset meritus, promiserat.

E X E P I S T O L A V I .

POLLICEM) Antea, Pollucem: nos aliquot abhinc annis emendauimus, Pollicem, ex uetustis libris, & lib. XIII. ad Atticum: quo in lib. circifinem ita scribit. Pollex quidem, ut dixerat, ad idus Sext. ita mihi Lanuij pridie iduū praesto fuit, sed plane pollex, non index.

E X E P I S T O L A V I I .

IDEST, Apollini, & Aesculapio) Hoc totum suspicor in margine ab aliquo fuisse scriptum, qui uellet nomen eius dei ponere, quem Cicero significat. deinde qui librum exscripserunt, Ciceronis uerba falso existimantes, receperunt in ordinem uerborum quod glossematis uice fuit. nihil tamen immutauit: quando scripti libri, ut impressum est, omnes habent.

E X E P I S T O L A I . L I B . X V .

A T A R C O N D I M O T O) sic habent uetusti libri: a quibus, non uideo, cur hoc in loco dissentendum

tiendum sit: praesertim cum & Dio in fine libri
 xli. & l. Florus initio belli civilis, inter Cae-
 sare, & Pompeiū gesti, Tarcondimotum eum
 appellent. mendose enim in Floro, Tarcon Domi-
 tus, duabus uocibus, impressum est.

Consuetudinem) putat legendum esse Hie-
 ronymus Ferrarius, Mansuetudinem. ut ep. III.
 huius libri, Quae copijs, dixit, & opibus tenere
 uix possumus, ea mansuetudine, & continentia
 teneamus. & epist. v. Mansuetudine, & inno-
 centia imperatoris prouinciam retentam, atque
 conseruatam. ad Atticum autem, epist. xvi. lib.
 v. Socijs incredibilis uidetur & nostra mansuetu-
 do, & abstinentia. Ciliciam autem firmiorem
 fore, si aequitatis nostrae partices facta es-
 set.)habet omnino sententiam aliquā, Aequita-
 tis nostrae: sed mihi non displicet, uel etiam magis
 placet, Equitatus nostri. nam et in meo uetere
 libro plane ita legitur: & opinionem etiam no-
 stram adiuuare uidetur historia. miserat enim Ci-
 cero in Ciliciam turmas equitum praesidij causa:
 idq. in epistola, quae post hanc sequitur, ordine cor-
 rupto, cum huic debeat antecedere, declarat his
 uerbis: Cum equitatum in Ciliciam misissem, ut
 meus aduentus, ijs ciuitatibus, quae in ea parte
 essent, nunciatus, firmiores animos hominum
 faceret. Item in epistola ad Catonem: Cognoui
 multorum litteris, magnum Parthorum equita-
 tum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum
 meorum

meorum turris obsidione occisum.

EX EPISTOLA III.

PRÆSENTIA, magnitudine, & animi, & consilii) est haec, ut opinor, huius loci uera lectio: quam ex antiquis exemplaribus accepimus: quibus in omnibus, quos quidem ipse uiderim, Praesentia, legitur, non praestanti, aut Praesenti. nos autem ueterum librorum auctoritatem in dies pluris facimus. permulta enim, quae in ijs primo adspectu uideantur absurda, post, ubi diligentius animaduertes, commodissime dicta reperiuntur: ut hoc in loco, qui statim, uerbum illud, Praesentia, quid sibi uellet, aut quo spectaret, ignorarunt, uitiosum credentes, immutarunt. est enim ita dictum, Praesentia, magnitudine, & animi, et consilii, tamquam si dixisset, Praesenti animo, magno consilio; ut praesentiam animi, magnitudinem consilii esse uoluerit: quemadmodum etiam alibi, Praesentem animum, saepissime dixit: etsi ubique fere eandem uocem imperiti deprauarunt, praestantem, non Praesentem, legentes. Praesentiam quoque animi dixit in orat. pro Milone. & Caesar belli Gallici lib. v. Sacerdos) quid sacerdos hic significet, Hirti) uerbis ostendemus. sic enim scribit de bello Alex. lib. IV. Comana, uetustissimum & sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos eius deae, maiestate, imperio, & potentia secundus a rege consensu

aa

gentis

gentis illius habeatur; id homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adiudicauit. Appianus autem in fine Mithridatici, Commagenis, inquit, Archelaum sacerdotem praefecit: quae dignitas habetur regia. Strabo etiam initio lib. xii. idem tradit. Adolescens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & toto, iis, qui nouari aliquid uolebant) sunt, quos offendat haec lectio. Ac fuit, cum ego quoque corruptum locum existimarem. nunc de mendo nihil suspicor: dixit enim, Et toto, id est, & ea re, quae summa est: deinde exposuit, totum illud quid sit: ijs, qui nouari aliquid uolebant: a quibus maxime timendum erat, quod adolescentem uel leuibus rationibus ad bellum possent impellere. Adolescens igitur, dixit, & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & quod summum est, ijs, qui nouari aliquid uolebant. sic etiam ad Atticum, Est totum, quid Kal Mart. futurum sit: pro, est summum, est maximum, in eo sunt omnia, quid Kal. Mart. futurum sit. Tibarani) forte, Tibareni, de quibus Plutarchus in Lucullo, & Plinius, ubi Temiscyrae regionis gentes persequitur. nam Tibaranorum mentionem nondum inueni. Res, quas consul in urbe gessisset) in quo ita legatur, uetustum habet librū magnae spei Iosephus Tramezinus. Consul autem, id est Cicero. commemorantur enim, quae pro Ciceronis dignitate & dixerat, & fecerat Cato. quas sit autē is, quē clarissimum,

simum, atque optimum uirum appellat, intelligere nondum potui. Caesarem quidem ut alij existimant, non arbitror: quem Cicero numquam optimum uirum uocasset, ad Catonem scribens, Caesaris inimicum, praesertim cum tota fere epistola eius beneuolentiã quasi aucupari uideatur; quo facilius supplicationem obtineret Catone cõprobante. Cum haec te tertia iam epistola ante oppressit.) alij, Ante operis sit, durius omnino, & sensu, ut ego existimo, non admodum probabili. quid enim? adeo longa est haec epistola, ut opus uideri possit? nã quod illas dictiones, schedã, aut litterã, epistolarũ numero respondere negant: id ego illis concedo: sed referrì dico ad illam uocem, Epistola: ut quasi Cassium reprehendat, qui schedam, aut litteram nondum dederit, cum epistolas iam tres acceperit. legitur autem, ut nos impressimus, cum in alijs antiquis libris, tum in eo, quem habet Vincentius Riccius: qui quidem liber uetustissimus est; ut graecas dictiones, quae sunt in uetustis exemplaribus perquam raro, maiusculis litteris scriptas habeat.

EX EPISTOLA XVI.

QVOD uelis ipsa currunt) fuit, cum de mendo suspicarer: nunc de loci integritate non dubito: cũ et ueteres libri cum impressis fere omnes consentiant, & Currere uelis, latine, atque usitate dici constet. exemplis, quia patent, abstinbo. Vincentij Riccij liber hoc in loco etsi deprauatus,

uatus, ab alijs tamen diuersus est: habet enim, Quod in his incurrat. Florentini emendarunt, Quod uel ijs ipsa occurrunt. quam lectionem etsi laudamus, ut ingeniose excogitatam: non tamen sequimur, neque satis ei confidendum credimus, cum a uetustis libris etiam quos ipsi habuerunt, discrepet. nam quod Germanos, pro currunt, occurrunt, impressisse dicunt: id ego eos fecisse coniectura ductos facile crediderim. non enim hic solum, sed in reliquis etiam Ciceronis scriptis multa eos arbitratus uideo mutasse: quam recte, alij iudicent.

EX EPISTOLA XIX.

ΗΔΟΝΗΝ uero, & ἀναγνωσίαν) Typographi Parrisienses hanc uocem, ἀναγνωσίαν, ubi legebatur, διαξιαν, in suo libro impresserant. quae uox sensum cum haberet meliorem, quam uulgata illa prior: ipse item in meo libro aliquot abhinc annis eam reposui; existimans, eos, si quid immutassent, id fecisse librorum antiquorum auctoritate, testimonioq. adductos. alij postea non absurde emendauerunt, ἀταξιαν: etsi uetusti libri repugnent: unus tamen Vincentij Riccij liber habet, ἀταξιαν. Habet damnatos, quos pro illo nobis restituat) Lege Pompeia damnatos Caesar restituerat. eos nunc latenter significat, cum tamen de ijs loqui uideatur, qui ad sectiones faciendas Syllae mortuo essent surrogandi.

I N E P I S T. F A M.

E X E P I S T O L A X X.

A D amorem meum aliquantulum discedens addidisti.) Antea legebatur, aliquantum olim. nos, cum in antiquis libris, & Aliquantulum olim, & Aliquantum olim, legeremus; Aliquantulum, reponere non dubitamus. neque enim, ut opinor, habere locum hic potest uox illa, Olim, cum ex ipsa epistola, & ex ea, quae sequitur proxima, Trebonium non multo ante Roma profectum esse, colligatur. atque etiam sensus erit commodior, si Aliquantulum, quam si, Aliquantulum olim, legas; ut ostendatur, Ciceronis amorem erga Trebonium summum, & maximum iam fuisse, cui quam minimum addi potuerit.

E X E P I S T O L A X I V. L I B. X V I.

M U M I U M) sic in libro meo satis antiquo, in duobus Sigonianis, Numium, & Nummum, alij in suo libro imprimi uoluerunt, Vmmium. Ego, Manium, ueram lectionem puto: ut sit Curij praenomen; de quo epist. VI. et IX. lib. 16. cum igitur Curium significari satis liqueat; et cum Manius praenomen Curiorum fuerit, ut ex lapidibus Capitolinis, Caroli Sigonij doctrina perfectis, atque illustratis, manifestum est: non dubito, quin hic, Manium, pro, Mumium, reponendum sit. saepe enim solo praenomine ueteres Romani aliquem appellabant, ut Appium, Seruium, Sextum. Cicero in epistolis nominat, neque addit, Claudium, Sulpicium, Peducaeam. praenomen autem,
Manius,

S C H O L I A

Manius, quia non ita usitatum erat, iccirco, librariorum licentia, transit in Marcus; eo facilis, quod M', quo Manius significatur, minimum distat a M. hinc M'. Acilius Glabrio, M'. Aquilius, M'. Curius, mendose ubique, pro Manius. atque haec nostra coniectura si probatur, eodem modo lib. XIII. ep. XII. eiusdem Curij praenomen M. mutandum erit in M', id est Manius: & ad Att. lib. XII. ep. V.

EX EPISTOLA XXIII.

ACCURRAM, sed s.) in uetustioribus libris scriptum est, Sed si. ego arbitror legendum, Sed st. quam silentij notam qui non agnouere, scripserunt, Si. deinde alius cum uideret, Si, locum hic habere non posse, fecit, s. id est scilicet. sic etiam in de Oratore lib. II. pro, St, scriptum erat, Si. quod mendum ante aliquot annos sustulimus. in Plauto etiam, ubi legendum, St, modo Si, modo Ast, modo At, uulgo legitur. Terentius quoque in Phormione hac nota usus est: quem locum recitat Velius Longus grammaticus. Dolabellae Procuratores fac ut admoneantur.) uerbum, Admoneantur, ad pecuniam refertur, quam Dolabella Ciceroni debebat: itaque intulit, Appellabis etiam Papiam: quod item creditorum uerbum est. pro Quintio: Cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, uerbum nullum facis: biennio iam confecto fere, appellas. Quod antecedit, in antiquo libro V baldini scriptum est, Seu quod elegerunt:

I N E P I S T . P A M .

gerunt : in eo , quem habet Petrus Bembus , Elegerint : in meo , Egerit . Potest esse ἀποσιώπῃσι : ut sit haec sententia : Sed , quod egerint , fac ut sciam .

H X E P I S T O L A V L T I M A .

Q V I B V S alteri Cesenam) locus sine dubio corruptus . neque enim adeo tum ignobilis , aut obscura fuit Cesena , ut , tamquam abiecta res , nominari debuerit . vetus liber Vincentij Riccij sic habet , Quibus gesa , uel quibus sutianarum tabernarum fundamenta credas . deliberent eruditi , quo modo sit legendum . Liuius quidem lib . I X . de Censennia meminit , opido non admodum celebri : ut fortasse non inepte pro , Cesenam , Censenniam , hic legi possit . antiquus liber e Cypro , Censenam .

F I N I S .

R E G I S T R V M .

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X
Y Z , A A B B C C D D E E F F G G H H I I
K K L L M M N N O O P P Q Q R R
S S T T V V X X Y Y Z Z a a .

V E N E T I I S , M . D . L X V .



I N H I S T. P. A. M.
... in eo, quod habet ...
... in meo, Egerit. ...
... in hac sententia: Sed, quod egerint, ...

... H. P. I. S. T. O. R. I. A. V. I. T. I. M. A.
... V. I. R. V. E. C. E. L. E. S. T. I. U. M. ...
... corruptus, neque enim alia ...
... sunt, ut, tamquam abdicatis, ...
... manent debuerit, nec ...
... habet, Quibus gela, ...
... deum, debentur erudi-
... ti, quo modo ...
... opido non admodum
... celebris, ut forte ...
... famam, S. V. D. ...
... Censuram.



... R. V. ...
... ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
... T. A. A. B. C. C. D. E. E. F. G. H. I. I.
... K. L. M. N. N. O. P. Q. R. R.
... S. T. T. V. X. Y. Z. A. A.

VENETIIS, M. D. L. X. V.

m

